POMPONIVS

GAVRICVS

SVPER ARTE POETICA HORATII.

❡EIVSDEM LEGIS POETICAE EPILOGVS VIDELICET.

- ❡ *Grecos Poetas tanq; Duces sequi oportere.*
- ❡ *Catalagos siue Epytaphios ipsorum adijcit.*
- ❡ *Qui nam sint Quos imitari debemus.*
- ❡ *Poeticæ reipublicæ q̃ Augusta sit dignitas.*
- ❡ *Quemadmodum ex tot dissipatis monumẽtis quãta Romanorũ uirtus fuerit.*
- ❡ *Ex ijs uero duntaxat optimates recenset ut intelligantur patria, genus, etas, facta singulorum.*
- ❡ *Qui theologiam scripserunt.*
- ❡ *Qui futura fata uersibus ediderunt.*
- ❡ *Qui rerum gestarum historias enarrarunt.*
- ❡ *Qui rerum naturam explicarunt.*
- ❡ *Qui bene uiuendi leges carminibus tradiderunt.*
- ❡ *Qui elegiam celebrarunt.*
- ❡ *Qui tragœdiam, satyram, & comœdiam excoluerunt.*
- ❡ *Qui iambos, lyricos atq; Asmata cecinerunt.*
- ❡ *Qui hymnos, encomia, epythalamia, Monodias epicedia, epytaphia, atq; epygrammata composuerunt.*

Domus C.l Pantal. de S.d. [illegible]

Lucæ Gaurici Geophonensis civitatensium Epi, [illegible] xii.

D. Io. Baptista: Flauius Aquilanus Studiosis.

QVisquis poeta maximus fieri cupis
Horatij Poeticam artem perlegas:
Quod si quid incidat tibi notum minus
Id Gauricus Pomponius probe explicat,
Non singula quidem uerba, sed sententias
Numeris solutis simplici docens stilo
Ne tempus in minimis uagus frustra teras,
Interpretes prisci ut facere solent boni.

D. Francisci Sansonii siculi phi Tetrastichon.

OMnia que Flacci sic quondam sensa latebant
Vt uix e tenebris delius eliceret,
Dispulit horrendas fulgenti luce tenebras
Gauricus insignis, Gloria parthenopes.

¶ Illustrissimo Principi, Amplissimoq; Pont: Cardin: Alexandro Farnesio. S. R. E. Viceca̅cellario Dignissimo Octauianus Canis Bonoñ. Foelicitate̅.

ARTEM Poeticam, Alexander Farnesi Cardin: Augustissime, quam primam olim philosophiam fuisse perhibe̅t. haudquaq̃ aspernandam esse arbitror, Nam & ea complectitur quę ad pacem, queq; ad Bella pertinent, Quin etiam de Deo, supernisq; coelorum motibus, eorumq; causis, elegantissime pertractat, Mores. affectiones, resq; etiam Gerendas, cum iucunditate, & hilaritate praecipit, nosq; ad optimam uiuendi ratione̅ deducit, Summos praeterea Oratores ueteru̅ poetaru̅ dogmata (uel ad Finem causarum, uel ad ornamenta eloquentiae) assumpsisse legimus, ob eamq; causam Graeci ferme omnes proprios filios, Tum Poetica, Tum mathematicis disciplinis, in primis tenerisq; Annis sub optimis praeceptoribus erudiendos curaueru̅t, No̅ immeritò igitur i̅ artis poeticae libello que̅ Horatius co̅uni omnium consensu doctissimus edidit, Rogatu Francisci Puccij Florentini oratoris eximij q; illi sub obscurior uideretur, Pomponius Gauricus uir quidem utriusq; linguae disertissimus non Gra̅maticorum quide̅ more (ut ipsemet in eius epistola testatur) uerba singula prosequendo. sed ipsas sententias summatim colligendo, quasi Horatius ipse resolutis numeris, Pisones suos alloqueretur, hosce commentariolos scripsit, Qui quum apud paucos reperirentur, opere pracium Duxi, ad studiosorum utilitate̅ illos Typographis excudendos traddere, & sub tuo Foelici nomine in lucem mittere: Adiecimus autem ipsius horatij Carmina (ut studiosi melius intelligant) que ipse Pomponius, breuitatis causa, ommiserat, Accipe igitur meum hoc munusculu̅ (Farnesi Decus nostrum) alacri animo, Benigno uultu, & ea (qua soles) humanitate, quum tuae partes sint, semperq; fuerint, Bonaru̅ litterarum studiosos iuuare ac Fouere, Vale perpetuo Foelix.

POMPONII GAVRICI DE ARTE POETICA AD FRANCISCVM PVCCIVM FLORENTINVM.

SAEpe quidem mecum ipse cogitaueram Pucci quonam modo tuam in me ueterem beneuolentiam, ac meam erga te summam obseruantiam apertißime testificari deberem, sed quũ nihil plane successißet: fateor equidem ita me composuisse: ut non nimis sollicitus essem, occasionem autem si qua interuenerit libenter arriperem. Ecce uero ita sors tulit: ut quum In hortis Mecenatianis deambulando: de latinis Poetis quos ille aluerit dissereremus & ad Horatium Flaccum deuenissemus: diceres tu in eo libello in quo Poetica præcepta traddantur: uideri subobscuriorem: ut que præcipiantur: plane nec ipse diu percipere potueris. nec qui percepisse uideretur quemq̃ adinueneris. Rogaresq; me qui contra nihil in illo mirabilius delaudarẽ aperteq; non libellum sed poetarum unionem illum esse prædicarem: uti que præcipiuntur: si quo modo possem: ostendere non grauerer. QVOD. quum libenter facturum me recepissem ita recepi, ut non Grammaticorum more: tibi sensus ipsos explicarem: quod in alijs quibusdam cõmentariolis fecimus: sed tantummodo præcepta ipsa colligerem: & quid ille commonuerit: enarrarem. Itaq; quum & hoc qua ratione melius fieri poßit, animo reuoluerem: placuit horatium ipsum ita tibi loquentem inducere: ut resolutis numeris: & idæis permutatis Pisones suos edocentem audire uidearis, scis enim quam ineptißima res sit si poetarum uersus in sua uerba resoluas.

QV. HORATII FALCCI DE ARTE POETICA AD PISONES.

HVmano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite Pisones isti Tabulæ fore librum
Persimilem, cuius uelut ægri somnia, uanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus atq; Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas
Scimus, & hanc ueniam petimusq;, damusq; uicissim
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes Auibus geminentur, Tigribus Agni.

Exordiū ab exē plo rei ieptæ ac primū præceptū de ακολουθία et conuenictia vniuersi operis.

Critici iudicabant de aliorū scriptis, ex quibus fuisse videtur horatius.

PRimum igitur Inquit Pisones: si optimorum Pœtarum nōmen consequi studetis: quam maxime uobis cauendum esse puto: id quod in omnibus rebus agendis solet esse primum. Ne uelut egroti quum somniant uanas ideas mente concipiatis. Tale siquidem opus futurum est: quales eius species animo præuolitauerint. Nunq̄ enim aut Phidias Olympium Iouem tam digne finxisset: aut apelles cois Venerem tam præclaram pinxisset: ni formas illas animo præuidissent. Ridebitur quidem Poeta liber: qui uanas species comminiscitur: haud aliter q̄ Pictoris tabula: que monstrum aliquod non antea uisum exhibeat. Habere enim oportebit: si hominem reddere uolet speciem hominis: sin autem equum: equi. Nam quod aiunt Pictoribus ac poetis licere quòd uelint: ea tenus licet: quatenus a natura non recedant. absurdissimum enim ut cuius natura sit humilis ac grauior: uideatur sublimis ac leuior: cuius uero immitis ac sæuior: uideatur esse facilis ac mansuetior.

De speciebꝯ cōcipiendis.

Secundum praeceptum vt oeconomia sibi per omnia constat, & nihil fiat nisi suo tempore.

INceptis grauibus plerunq;. & magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus, & alter
Assuitur pannus, cum lucus, & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut Flumen Rhenum, aut Pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus, & fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc? si fractis enatat expes
Nauibus aere dato, qui pingitur? amphora caepit
Institui, currente rota, cur urceus exit?
Deniq; sit quod uis simplex duntaxat, & unum.

De Totius operis aequabilitate.

De proposito.

SED & cauendum ne inepti esse uideamini ne scilicet quum magna dicturos professi fueritis in minima queq; dilabamini: id enim esset haud multo secius quam si triumphalem in habitũ exituri purpureas lacinias in sordida toga consutas haberetis. Suus enim unicuiq; rei dandus est locus: describendus Fluuius: describendus & Arcus caelestis: Regioq; non nisi tunc quum ipsa res expetere uidebitur. Nunq̃ autem uobis erit a Proposito discendendum: & in ijs que parerga dicuntur immorandum: ut nec Pictori qui naufragium accepta pecunia sit picturus. Rideretur enim si quum ita naufragum hominem pingere deberet ut uideretur: auulso temone: defracta malo: ue'isq; discissis: spẽ salutis nullam habere: nihil quidem horum pingat que oporteret. sed cupressum & quae à Pictoribus ipsis longinquae regiones appellantur. Figulus etiam derideretur si quum Amphoram instituerit: exiret in urceum, Cuiuslibet enim artis proprium hoc esse debebit: ut in eodem semper opere perseueretur.

Tertium Ne qd virtutis & vitii affinitate peccetur.

MAxima pars uatum pater, & Iuuenes patre digni.
Decipimur specie recti, Breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq;, professus grandia turget.
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellae.

QVOD autem plerosq; decipere consueuit: prouidendum ne recto iudicio decipiamini: ne scilicet dum stili Breuitatem sequi studetis, in proximum uitium: obscuritatem incidatis, ne dum leuiorem amatis eneruatum potius commostretis. aut dum grandiorem ipsum profitemini: in turgidiorem assurrexisse uideamini. Contraq; dum hunc euitatis: in humiliorem recidatis: sic autem habetote optimum illum uideri stilum qui eius rei de qua agitur naturam imitabitur. De stilo.

QVI uariare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum.
In uitium ducit culpæ fuga, si caret arte
Aemilium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molleis imitabitur ære capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet, hunc ego me (si quid componere curem,)
Non magis esse uelim, quàm prauo uiuere naso
Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo.

4. vitanda affectata eloquentia ne in ineptias icidat & portentum quoddã uideatur.

CONTRA uero prodigium, qui simplicem rem diuersam efficere conabitur: Exempli gratia. si quis Pictor in mari pingeret aprum: in syluis uero delphinum: quæ suapte natura fieri nullo modo possunt. Ne uero dum culpam hanc effugere studetis: ita rudem stilum faciatis ut merito repræhendi poßitis: Techna enim est quedam in omnibus adhibenda: ut quid unam quamq; rem deceat diligentißime dispiciatis: Dispiciendum autem In primis ut totum id quod Institutum est opus perficiamus: non autem circa nullius momenti res friuolas quæ addi resecariq; possunt, plusq̃ oporteat insistamus. multo nanq; melius est in ipsa re si quid peccatum sit posse castigari q̃ prorsus nihil qđ spectari mereatur extare. Etenim Ego: si qua Poetæ mihi statua ponẽda foret: malim illã fabricari ab eo qui me fingeret naso duntaxat recuruo: reliqua uero corporis specie ut uiderer esse uiuus: quã ab illo ipso Fabro qui nihil aliud preterquam ungues et capillos imitaretur.

Argumentum suo cuiq; ingenio idoneũ deligendum.

SVmite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus, & uersate diu, quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Decorum ordinis in carmine.

Ordinis hæc uirtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promißi carminis autor.

De Inuentiõe.

INueniendæ uero uobis scribendi materia erit: non absurda: non aspera: non longius a cottidiana consuetudine remota: sed que conueniat: que ornamenta suscipiat: quam et uos pulcherrime cognitam habeatis. & constanter substinere ualeatis. Sic enim quemadmodum dispositio tractanda sit melius intelligetis: & rem ipsam multo conuenientius eloqui poteritis. Diposi-

De dispositiõe.

tionis autem poeticæ uirtus (nisi fallor) est hec. ut ne a principio longam historiam repetamus: ne ue ad finem usq; perducamus. sed horum Intermedia sic enarremus: ut & que præcesserint: & que subsecuta sunt aliquo modo significemus: quedam enim sunt nobis retinenda: quedam & relinquenda.

Parce & apposite nouis uocabulis utendũ & antiquis.

IN uerbis etiam tenuis, cautusq; serendis.
Dixeris egregie, notum si callida uerbum
Reddiderit Iunctura nouum, si forte necesse est
Iudicijs monstrare recentibus abdita rerum, &
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq; licentia sumpta pudenter.

De eloqutione.

DE compositione uero quid nam aliud uobis ego præcipiam? nisi ut omnem uestram diligentiam adhibeatis: ipsa Periodus iuncturaq; membrorum artificiosißima: uerba uero usitatissima: delectißimaq; uideantur.

Et noua,

ET noua, fictaq; nuper habebunt uerba fidem, si
Graeco fonte cadant parce detorta, quid autem
Caecilio, Plautoq; dabit Romanus, ademptum
Vergilio, varioq; ? Ego, cur aquirere pauca
Si possum Inuideor ? cum lingua catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit ? licuit semperq; licebit
Signatum praesente nota producere nomen,

Noua dixi inuideor, quum de nouis verbis fingēdis loquitur.

QVOD si forte fingenda quedam uobis erunt: propter patrij sermonis egestatem, ut Lucretius ait: uerba non usitata. licebit quidem uobis pisones: sed quàm modestissime: recipientur etiam atq; usu fient molliora: si ab ipsa Graecorum nominum origine sint deriuata. nam si potestas ea Cecilio Plautoq; maioribus est concessa, cur et uobis posterioribus denegabitur ? si Ennius Catoq; tam multa rebus noua uocabula compararunt: cur et nos non poterimus pauca ? Semper quidem Pisones & licuit & licebit hominibus nouum aliquod a communi consuetudine non dissonans, proferre uocabulum: ceu & Principibus sua nota praesentem signare pecuniam: uerborum siquidem ratio eadem est atq; ipsorum hominum natio: quei ut ait Homericus Glaucus: uelutifolia intercidere et enasci solent,

VT syluae folijs pronos mutantur in annos.
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit aetas,
Et Iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;
Debemur morti nos, nostraq;, siue receptus
Terra Neptunus, classeis Aquilonibus arcet.
Regis opus, sterilisq; diu palus, aptaq; remis
Vicinas urbeis alit, & graue sentit aratrum,
Seu cursum mutauit iniquum frugibus Amnis
Doctus iter melius. mortalia facta peribunt.
Nedum sermonum stet honos, & gratia uiuax,
Multa renascētur, quae iam cecidere, cadentq;

Exēplo probat omnium rerum esse vicissitudinem quamdam

Quae nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
Quem penes arbitrium est, uis, & norma loquendi,

Neq; uero mirum si et uocabulorum aetas intereat, quum & res ipsas (quarũ sunt nomina) quottidie mutari uideamus. Multis enim In locis ubi prius fuerat terra, nunc mare, ubi quondam Mare, nunc terra. Itaq; quo ad eius fieri poterit, utendum moneo uerbis praesentibus & quam usitatissimis. Omnis enim bene loquendi uis, est ab usu consuetudineq; petenda.

De uersu hexametro.

Res gestae, regumq́;, ducumq́; & tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

De elegiaco seu pentametro.

Versibus Impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auhtor,
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Iambici carminis Inuentum.

Archilochum Proprio rabies armauit iambo
Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Lyrici carminis officium.

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; Deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum
Et Iuuenum curas, & libera uina referre,

Ne praepostero ordine & stilo abutamur.

Descriptas seruare uices, operumq; colores.
Cur ego si nequeo? ignoroq́;, poeta salutor?
Cur nescire pudens, praue, quàm discere malo?
Versibus exponi Tragicis res comica non uult.
Indignatur item priuatis, ac propè socco,
Dignis carminibus narrari cæna Thyestae.
Singula quaeq; locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & uocem Comaedia tollit.
Iratusq; chremes tumido dilitigat ore.

Eos affectus induendos quibus velis spectatorum affici.

Et tragicus plerunq; dolet sermone pedestri.
Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul uterq;,

Proijcit ampullas, & sesqui pedalia uerba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

INtelligendum autē est rebus ipsis numeros accomodari oportere. Rerum siquidem gestarum historiam homerico uersu scribere debebitis Elegiaco autem (nam quis eorum author fuerit Incertum) querimonias amoresq; concludetis. Maledicentiā uero Archilochio iambo componetis, qui pes & Comicis pariter & Tragicis est acceptus, siquidem ad quottidiani sermonis imitationem aptissimus, & ad res Regum explicandas accomodatissimus, Deorum laudes, Athletarum, Olympionicarumq; uictorias Pindaricis ludos Ebrietatesq; Anacreonticis rithmis referetis, Hæ namq; leges omnino uobis tamq̃ pictoribus suæ descriptiones erunt obseruandæ.

Nūeros ad materiam accomodandos.

NOn satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocunq; uolent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani uultus, si uis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me Infortunia lædent
Telephe, uel Peleu, male si mandata loqueris
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum uerba decent, iratum, plena minarum.
Ludentem, lasciua, seuerum, seria dictu.

Affectuū mota ex oratione.

SED Quoniam non est satis quempiam censeri pictorem ob hocq; figuras describat, nisi colores etiā suos addat. Ita nec Poeta nominandus est is qui librum suis ornamentis distinguere ac uariare nesciat. Enim uero Pisones discenda quidem sunt quæ ignoramus neq; turpe nobis putandum est uelle doceri, quæ non sciamus. Multo enim honestius est quæ nescimus edoceri quam plane ceteris ignauissimos uideri, Quemadmodum igitur turpissimum est, siquis Parentem in filij rogo purpuratum pingeret, aut rustico

De Comediæ Tragediæq; de coro.

Habitu Regem: regalisq; rusticum: sic si Comicam materiam Tragicis uersibus exponeremus: Tragicamq; comicis. Quippe quam omnibus in rebus suus ipse decor fulgere debebit, non tamen quin interdũ Terentianus Chremes litigans indignatusq; non uocem attollat, & Tragicus Telephus regno pulsus atq; inops communi habitu sortem non doleat suam tunc precipue quum uult spectatores ad misericordiam commouere. Neq; uero satis erit Pisones Poema uideri pulchrum: nisi etiam dulce sit ac uehemens: quod auditores afficiat moueatq;: Que res quemadmodum fieri commode possit animaduertatis. Vt enim natura nobis hoc innatum est: ut ijs quei rident arrideamus. Ita etiã si nos eodem modo cæteros afficere uolemus: animo prius affici nos Intus oportebit: atq; ad eas res quas dicturi sumus uultum adaptare. Idoneaq; demũ uerba proferre: uidelicet in re moesta, dolentia: in ira, minitantia: in re lasciuienti, iocosa: in re graui, seuera.

De optima ratione compositionis.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram
Aut ad humum moerore graui deducit, & angit.
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.
Intererit multum Dauus ne loquatur, an heros,
Maturus ne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi conuenentia finge,
Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq; flebilis Ino.
Perfidus Ixion. Io uaga, tristis Orestes.

Decorũ personæ in carmine.

Si quid in expertum scænæ committis, & audes
Personam formare nouam, seruetur ad imum,
Qualis ab Incæpto processerit, & sibi constet.

Persona eodem vbiq; ingenio i ducenda.

SIC enim est nobis à natura tributum ut prius animo intus ad unum quemq; habitũ conformemur: deinde rem ipsam uerbis accõmodatißimis interpretemur. Erunt autem accõmodatißima si ad fortunam: genus: ætatem profeßionem: nationem cæterasq; res aspiciemus. Personarum autem nominibus utemini: uel consuetis quæ sint de medio translata: uel nouis que sint modo conficta. Si consuetis: aut priorum scriptorum famam sequi debebitis: aut que illorum rebus gestis conueniant confingetis. Exempli gratia ne Achilles sit facilis ac secors: ne medea mitis: Orestesq; iocosus. Si uero nouam aliquam personam inducetis danda, quidem opera est ut quoscunq; illi mores ab initio dederitis: eos ad extremum usq; tenere uideatur.

De Personis Introducendis.

Difficile est proprie communia dicere, tuq;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus
Quàm si proferres ignota, indictaq; primus.
Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa uilem, patulumq; moraberis orbem,
Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus
Interpres, ne desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex.

Interpretis officium.

NE uero putate: nullam uideri laudem fecisse propria que fuerint communia. Res quidem est dificillima: nec minoris esse laudis reputabitur: si quid ex Homerico carmine in uestram Tragædiam transferetis: quam si totam rem non antea cognitam primi deduceretis: quemadmodum autem id uobis agẽdum sit breuiter explicabo. Publicam quidem rem uestram efficietis aut Interpretando si non in uili manifestoq; loco laborabitis: & si uerbum uerbo reddere non curabitis: aut imitando si

Quid In transferendis fabulis obseruandum.

non eo angustiarum deueneritis unde amplius honeste iam euade re non ualeatis.

Ne arrogans sit exordiũ cuiusmodi est cyclici poetæ.

N*Ec sic Incipies, ut scriptor Cyclicus olim,*
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum,
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte.
Dic mihi Musa uirum, captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat.
Antiphatem, Scillamq; & cum Cyclope charibdim.

Exordium odysseæ Homericæ

Quid in heroico carmine conueniat.

LIBET *autem hoc loco uos monere ne uestri carminis Heroici principium sit tumefactum, Inflatumq; quale quondam nescio cuius Cyclici qui sic occepit, Fortunam Priami cantabo & nobile bellum, sed castigatum ac decens quale hoc ipsum Homeri. Dic mihi musa uirum captæ post tempora Troiæ. Qui mores hominum multorum uidit: & urbes. Ille quidem tamq̃ ex accensarum palearum fulgore dat fumum. hic uero ex ipso tedarum fumo suscitat fulgorem Paulo post miracula monstraturus.*

Homerici poematis artificiũ.

N*Ec reditum Diomedis ab Interitu Meleagri,*
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas, auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atq; ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

SED *nec Iliacum carmen incepit a partu ledæ: quemadmodum ille alter: Reditum Diomedis a Meleagri morte.*

Semper enim ad finem euentumq; rei festinandum, Mediæ res tamẽ notæ attingendæ qua uero dilucide tractari non possunt, relinquendæ. Ita uero confingere ac ueris falsa miscere oportebit, ne ipso principio medium: a medio finis discrepare uideatur.

Tu quid ego. & populus mecum desyderet, audi, — Decorum ætatis obseruandũ diligenter.
Si plausoris eges aulæa manentis, & usq;
Sessuri, donec cantor, uos plaudite, dicat,
Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui uoces iam scit puer, & pede certo — Pueritia.
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis Iuuenis (tandem custode remoto) — Adolescientia.
Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor. prodigus æris.
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere, pernix.
Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis — Virilis ætas.
Quærit opes, & amicitias, inseruit honori.
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda, uel quod — Senectus.
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omneis timide, gelideq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero censor, castigatorq; minorum.
Multa ferunt anni uenientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. ne forte seniles
Mandentur iuueni partes, pueroq; uiriles,
Semper in adiunctis. æuoq; morabimur aptis.

Quid i Comœdia tragœdiaq; necessarium.

NVNC ad comœdiam Tragœdiamq; reuertamur. Hæ quidẽ (quoniam ad huamanæ vitæ exemplum componi debent) si cupietis eas exigi : & uobis a Populo plausum dari : qui ad ultimam Calliopij uocem, Valete, sedeat, & donec aulaa tollãtur. Tragœdiam expectet, diligenter imitandi erunt ætatis uniuscuiusq; mores : omnibusq; suus decor addendus, Exempli Grátia. Qui iam effari, & securius ambulare occipit puer propriũ hoc habere debebit. Cum sui similibus colludere, Iram ex re minima colligere. Temeriusq; deponere, & in horæ tempus centies animum commutare. Adolescens quĩ á Pædagogo liberatur, hoc, Canes atq; equos alere, In Campo ludere, In uitium declinare. monitiones non admittere, Tardius ea que utilia sunt peruidere. Prodigum, elatum, cupidum, atq; inconstantem esse. Maturæ uero iam ætatis Vir, hoc. Diuitijs incumbere, Ambitionibus inseruire. Amicos sibi comparare, Ne quid immutari oporteat peruidere. Senex autem hoc. Auidius quærere: quæsitis rebus abstinere: Ne desint cũcta timere. Res omnes timide ac segniter ministrare, desperare difficiles ac quærulos esse. Præterita tempora collaudare, præsentiaq; uituperare. Verum enim animaduertendum est, plurimum differre, ueniant an recedant anni, ut enim prima senectus plurimas secum utilitates affert. Consilium. Prudentiam. plurimarumq; rerum experientiam. Sic ultima senectus illa eadem adimit. Ne scilicet quæ senis esse debent partes, iuueni demandentur. quæ uero uiri, adoloscentulo tribuantur.

Ætatis cuiusq; Mores Imitãdi

AVt agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator, non tamen intus
Digna geri, promes in scenam, multaq; tolle
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coràm Populo Medea trucidet,
Aut humana palã coquat exta nefarius Atreus

Vehemẽtiꝰ mouent animos spectaculo quã auditu.

Aut in

Aut in auem Progne uertatur, cadmus in anguem,
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Ne ue minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci uult, & spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus uindice nodus
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret,

Fabulæ actus & Personæ.

NVNC *ad ipsos actus deueniamus. Duplex quidem ipsorum est ratio. Aut enim res in scena agitur: Aut acta pronuntiatur. Minus quidem auditorum animos afficere solent quæ audiuntur, quam quæ oculis cernuntur: non tamen ideo quæ intus transigi debent: in scenam proferenda. Multa quidem sunt e spectaculo tollenda: quæ potius enarrari conueniant: ut Medea filios trucidans: Atreusq; puerorum membra decoquens: quæ si ostendantur: odium simul incredulitatemq; pariet. Sed nec plures paucioresue quam quinq; actus in omni fabula contineatur. Nec in ipsis Actibus quarta persona nisi seorsum loquens introducatur. Nec Deus aliquis (nisi qui rem dirimat) admittatur.*

De Actibus.

Actoris partes chorus, officiumq; uirile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faueatq;, & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timenteis,
Ille dapes laudet mensæ breuis, ille salubrem
Iustitiam, legesq;, & apertis otia portis.
Ille tegat commissa, Deosq; precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis,

Chori officium in fabula.

QVONIAM *uero chorus post unumquemq; actum intromitti consueuit: nihil quidem inter cantare debebit: quod non aptissime cohæreat, & ad propositum pertinere uideatur. Partes enim quæ potiores esse uidentur defendat:*

De Choro.

Bonos uiros collaudet, malos uituperet, Iratos corrigat, frugalitatem laudet, Iusticiam leges, ac pacē approbet. Quæ cōmissa secreta sunt tegenda demostret, Deos oret, miseri meliorem fortunam consequantur, superbi uero in peiorem dilabātur.

Priscorum fabulæ minus ambitiosæ & mores frugaliores.

Tibia non ut nunc orichalco uincta, tubæq;
Aemula, sed tenuis, simplexq; foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis, atq;
Non dum spissa nimis complere sedilia flatu,
Quo sane populus numerabilis, ut pote paruus,
Et frugi, castusq;, uerecundusq; coibat.
Post q̄ cæpit agros extendere uictor, & urbem
Latior amplecti murus uinoq; diurno
Placari Genius festis Impune diebus,
Accessit, numerisq;, modisq; licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberq; laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumq;, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq; uagus per pulpita uestem,
Sic etiam fidibus uoces creuere seueris.
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps.
Vtiliumq; sagax rerum & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

QVE tamē lex protēdi cæpta. Olim enim tibia que choris adhibebatur, tenuis, foraminibusq; paucissimis esse solebat: ut uix à subsellijs exaudiretur. Non autē ut nūc orichalco uincta Tubæq; iā æmula, que totā prorsus cōplet Orchestrā, Post quā enim cū urbe simul accreuit populus, accreuit & licētia morum ludorūq;. Numeri quoq; modiq; creuerūt, addita etiā choris est saltatio addita luxuria, ornatusq; maior, addita etiā Chordotona, et applicitī sunt noui celeresq; cātus, q̄ etiā eo processū est ut chorus relicta lege, quā diximus supercinēdi ad priorē actum, supercineret et ad sequentē, grauissimisq; sentētijs tanq̄ oraculis uaticinaretur quid Inde futurum.

CArmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agresteis satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eò quod
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, Functusq; sacris, & potus, & exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniat satyros, ita uertere seria ludo,

Tragędiæ olim seueriori adhibita est ad uolu ptatem satyra.

Ne, quicunq; Deus, quicunq; adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut dum uitat humum, nubeis, & inania captet.
Effutire leueis indigna Tragoedia uersus,
Vt festis matrona moueri iussa diebus,
Intererit satyris paulum pudibunda proteruis,
Non ego in ornata, & dominantia nomina solum,
Verbaq; Pisones satyrorum scriptor amabo,
Nec sic enitar tragico differre colori,

Ne personæ dignitas violetur humilitate sermonis, aut contra.

Vt nihil intersit Dauus ne loquatur, an audax
Pithias emuncto lucrata simone talentum,
An custos, famulusq; Dei silenus alumni,
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quiuis
Speret idem. sudet multum, frustraq; laboret
Ausus idem. tantum series, iuncturaq; pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Locus ex tragœdia lucilii Poetæ.

Syluis deducti caueant, me iudice, fauni,
Ne uelut innati triuijs, ac penè forenses
Aut nimium teneris iuuenentur uersibus unquam,
Aut immunda crepent, ignominiosaq; dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res.
Nec siquid fracti ciceris probat, & nucis emptor,
Aequis accipiunt animis, donant ue corona.

Ne nimium effoeminatis aut obscœnis verbis vtantur poetæ satyrici.

SED & Prisci Tragici quibus hircus in præmium dabatur p Choro, Agresteis satyros q sicinin saltationē æderēt atq;,

De Satyris.

lasciuerent inducere solebant: ut & grauitatem illam suam tem perarent & Ebriacos spectatores grata nouitate detinerent. Quam rem si uobis placuerit imitari, non ita derisores, ita totos lurcos inducetis, ut deos heroas Regesq; introductos: ita derideant: cauillenturq;: ut aut in sordidas tabernas sit illis demigrandum: aut in aerias nubes altius euolandum. Stare quidem debebit inter proteruos satyros Tragoediæ grauitas: tamq̃ matrona que diebus festis est coacta saltare. Satyri autem ipsi uerbis utentur inconditis asperisq;: quæ tamen à Tragicis ita differant ut ab satyricis ipsis Comica: quippe quum que diuersitas est seruorum ad satyros: eadem debet esse satyrorum ad Reges. Sumenda uero materia dicendi ab rebus notis: de media uiuendi consuetudine sumptis, ita ut quisq; de se dici credat: ac tota (ut aiunt) fronte desudet. Sciatq; se frustra conaturum: si quid tale quod Tragica persona perpetrare audeat. Cauendum est etiam ne quasi ciuiles ac forenses esse uideantur: ne nimium teneris uersibus emollescant: ne uerba turpia ignominiosaq; fundant: quibus Equites, Senatores: Populusq; Romanus offendantur: neq; enim quod plebi probatur: id etiam illis placere poterit.

Iambici trimetri qui vocātur (cum sex cōstāt pedibus) senarii dicti sunt, admisso spondeo.

Syllaba longa breui subiecta, uocatur Iambus
Pes citus, unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem.
Tardior ut Paulò, grauiorq; ueniret ad aureis,
Spondeos stabileis in iura paterna recepit
Commodus, & patiens, non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni,
In scenam missos magno cum pondere uersus,
Aut operæ celeris nimium, curàq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi,
Non quiuis uidet immodulata poemata iudex.
Et data Romanis uenia est indigna poetis,
Iccircò ne uager, scribamq; licenter? an omneis

Latinorum licentia.

Visuros peccata putem mea tutus: & intra
Spem ueniæ cautus? uitaui deniq; culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria græca
Nocturna uersate manu, uersate diurna.
At nostri Proaui Plautinos & numeros &
Laudauere saleis, nimium patienter utrunq;,
Ne dicam stulte mirati, si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus, & aure,

Græcorũ in car mine laus.

NVNC ad ipsam numerorum quibus hec genera continentur: rationem deueniamus: Enarrari quidem res comicas Tragicas satyricasq; conueniet: Trimetro Iambico Iambus ipse breui longaq; syllaba constat. Trimeter autem senos in se recipit iambos. Qui quoniam celerius ire uidebatur: factum est ut exauctis temporibus spondæos admiserit: non tamen unq̃ secunda quartaq; sede: ut in Accij atq; Ennij trimetris apparet. Quisquis igitur spondaicos Trimetros in scenam attulerit: aut negligentiæ celeritatisq; nomine damnandus: aut ignorantæ artis crimine uituperandus, Neq; uero est quod hoc modo se quis excuset numeris abutantur Non oẽs uidelicet dyiu dicare. Datamq; Romanis Poetis hanc ueniam, ut interdum. Potius quidem sic existimare deberet: oẽs errata sua cognituros atq; idcirco nõ esse peruagandum: neq; licenter eo modo scribendum, sed citra spem ueniæ: Quemadmodum ab omni criminatione tutus esse posit: diligentissime præcauendum. Sed esto probabilem excusationem attuleris: certe quisquis excusatione sic utitur: culpam ipsam delictumq; defendit: non tamen ob id laudem meruisse putabitur. Nunq̃ uero Pisones à Græcis exemplaribus discedere debebimus. Non ergo dicet aliquis: Plautum imitabimur? cuius & numeros & urbanitatem tantopere nostri maiores laudare solebant. Non inquam nisi enim nos tam stulti simus: ut nec inurbane dictum a lepido discernere: nec legitimum sonum in arte Musica deprehendere ualeamus. stulte quidem illi utramq; rẽ in illo delaudarũt.

De nũeris Iambicis.

Tragoediæ initium & incrementum.

IGnotum Tragicæ genus inueniße camoenæ
Dicitur, & plaustris uexiße poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti fecibus ora.
Post hunc personæ, Pallæq; repertor honestæ
Aeschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit, magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Vetus comœdia

Succeßit uetus his comoedia, non sine multa
Laude, sed in uitium libertas excidit, & uim
Digna lege regi, lex est accepta, chorusq;
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ,
Nec minimum meruere decus, uestigia græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas.
Nec uirtute foret, claris ue potentius armis,

Latinorum tæpium in castigãdis suis.

Quam lingua latium, si non offenderet unum
Quẽq; Poetarum, limæ labor, & mora. Vos o
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigauit ad unguem.

Ingeniũ an ars plus poßit.

Ingenium misera, quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos helicone poetas
Democritus, bona pars non ungueis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca balnea uitat.
Nanciscetur enim precium, nomenq; poetæ,
Si tribus anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Lycino commiserit. O ego leuus,
Qui purgor bilem sub uerni temporis horam,
Non alius faceret meliora poemata uerum
Nil tanti est. Ergo fungar uice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ualet ex sors ipsa secandi.
Munus, et officium nil scribens ipse docebo,
Vnde parentur opes, quid alat, formetq; poetam,
Quid deceat, quid non, quo uirtus, quo ferat error.

QVID igitur? quum apud Athenienses Primus (ut fertur Thespis Erychtei filius) a quo Thespiades appellatæ: Tragoediam quandam adinuenisset: quæ in Plostris decantaretur ab ijs qui fuligine peruncti forent. Deinde Aeschylus pulpito & personis honestioribus excoluisset: atq; hinc uetus Comoedia successisset: eiusq; libertas legibus excidisset: Chorusq; sublatus fuisset: Vituperandi sunt nostri latini: qui Prætextatas, Togatasq; fabulas edocuere? quod Græcorum Poetarum uestigia derelinquerint, & ad priuatorum hominum gesta describenda se se contulerint? Minime quidem, sed hos ita laudo, ut si suos numeros addidissent, Nec emendandi laborem subterfugissent, & more paululum patientiores fuissent, non plus armis quàm lingua Imperium Populi Romani propagatum extitisset. Itaq; demum uos moneo Pisones facite uestrum carmen omni iam uitio careat, multaq; litura coerceatur, ac sæpius in incudem curiose redigatur. Istos uero cum suis ineptijs ualere sinatis, qui Democriti auctoritatem secuti putant Poetam insania quadam non autem & arte constare, Siuidelicet ungues non ponat, sordes enutriat, secreta loca petat, caput non eluat, deniq; se uesanum fieri studeat. Stultus enim ego qui primo Veris tempore bilem purgare soleo, nam nisi purgarer, nemo melius poema componeret. Cur igitur dicere mihi posset aliqs, nō tu qui Poeticā artē profiteris Horati, facis idē quod & isti q solo dūtaxat Ingenio Carmina cōponunt; Huic ego nullum aliud responsū dabo nisi quod Isocrates rogāti Cur artis Rhetoricæ quā profiteretur munus ipse nō expleret? & Cotes inqt nihil ipsæ coincidere possunt. Ferrū tamē ipsū quo incidas acutū efficiūt, Ostendā igitur dehinc uobis Vnde Poeti ca facultas cōparetur. Quid est id qd Poetam enutrirat. Quid deceat. quid nō deceat. Quo uirtus, et quo nos error adducat.

Carmen omni vitio carere debebit.

Poetam non tā Ingenio q̄ arte constare.

SCribendi recte sapere est, & principium, & Fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.
Qui didicit patriæ, quid debeat, & quid amicis,

Vnde Argumētum scribendi petatur.

Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in Bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personæ scit conuenientia cuiq;.
Respicere exemplar uitæ, morumq; iubebo
Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces.
Interdum speciosa iocis, morataq; recte
Fabula nullius Veneris sine pondere, & arte
Valdius oblectat populum, meliusq; moratur,
Quam uersus inopes rerum, nugæq; canoræ.

Recte scribēdi origo.

TOTIVS quidem recte scribendi Fons & Origo Pisones est: Prudentem esse, Materiam autem uobis copiosissimam suppeditabit socratica Philosophia. hec enim docet, quantum Patriæ, quantum & Amicis debeamus, Qua pietate Parentes, Fratres atq; hospites prosequamur. Quid in curia Senatorem, Quid in foro iudicem, Quid in exercitu Imperatorem agere conueniat, breuiterq; totius Humanæ uitæ ac morum exemplar ostendit. Ad quod quum inspexeritis, uerissimas grauissimasq; sententias deducetis multo enim melius est Fabulam uideri iocosam moratamq;: que nec pondus nec artē habeat, quàm uanis uersibus canorisq; nugis refertam.

Recte scribēdi materiam.

Græcorū excellētiā in dicēdo.

GRaijs Ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in parteis centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Vncia, quid superat? Poteras dixisse triens. Oe
Rem poteris seruare tuam. redit uncia, quid fit?
Semis. Ad hæc animos erugo, & cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina Fingi
Posse linenda Cedro, & leui seruanda Cupresso?

Romanorū auaritia.

Quibus in

QVIBVS in rebus Græcos in primis auctores imitabimur, qui soli & sapiunt & loqui sciunt, omnium sane rerum præterq̃ huiusce laudis prodigos, quam quidem totam sibi uendicauerunt; Nam quod Romanorum ingenia non poßint idem quod, & Græcorum, multæ quidem sunt causæ, sed hec est omnium potißima, Quoniam illi statim à Pueris ad ingenuarum artium professores deducuntur. Nostri uero ad Partiēdi, subducendi, superaddendiq; magistros emittuntur. Quibus malis artibus imbuti, non est amplius sperandum, ut ad hæc studia animos applicare poßint:

Præceptorum breuitas.

AVt prodesse uolunt, aut delectare Poetæ,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere uitæ.
Quidquid præcipies, esto breuis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Quid Poetam Deceat.

IN omni autem opere, quid deceat est obseruandum. Decebit autem ut quæ scribimus uel ad Institutiões uitæq; præcepta referamus, uel ad legentium animos oblectandos traducamus. Vel ad utrumq; simul intendamus. Si præcepta traddentur (quo ad eius fieri poterit) breuißime traddere debebimus, ut & cicius percipiātur: & fidelius memoria retineantur, traddentur autem breuißimé si nihil in ijs superfluum inueniatur.

Fabularum modus.

FIcta uoluptatis causa, sint proxima ueris.
Nec quodcunq; uolet, poscat sibi fabula credi,
Neu pransæ lamiæ uiuum puerum extrahat aluo,
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis,
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.
Hic meret æra Liber sosijs, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.

Quod Poema præstantißimū

AT uero si (quæ ad uoluptatem faciunt) confingemus: hæc quæ confingentur uerisimillima uideri debebunt: ne forte putetis fingenda uobis: ea quæ facta fuisse: nullo modo credi: possunt Cuius generis est: Comanducatū puerum a lamia: Paulo post eiusdem Aluo uiuum extractum: atq; huiusmodi cætera Prestigiorum genera: Qualia Cyclici scribere consueuerunt Gigantomachias et Titanomachias. Horū autem unus Leuches quum sibi cæteram fabulositatis materiam ereptam esse uideret: facetissime quidem exortus, Dic, Inquit, Musa mihi: quæ nec fieri potuere Nec unq̄ esse queant. Quoniam uero non omnibus eadem eodem modo uidentur: atq; alijs utilia placent: alios & uoluptuosa delectant. danda quidem opera est ut quedam fiat exutrisq; temperatura: & cum utilitate dulcedinem admisceamus. Ille siquidē Liber & Librarijs lucrū dabit: & scriptoris Nomē æternū reddet, q delectādo pariter ac monēdo lectorē afficiet

Leuioribus vitiis ignoscendū

SVnt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus.
Nam neq; chorda sonum reddit, quem uult manus, & mēs
Poscentiq; grauem persæpe remittit acutum,
Nec semper feriet quodcunq; minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura, quid ergo?
Vt scriptor si peccat idem librarius usq;,
Quamuis est monitus, uenia caret, & citharædus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
Sic mihi qui multum cessat fit cherilus ille,
Quem bis, terq; bonum cum risu miror, & idem
Indignor, Quandoq; bonus dormitat homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Quid non deceat.

CONTRA uero quam maxime dedecebit: librum quā plurimis abundare delictis: Nam leuioribus qubusdam quæ per negligentiā aut Inprudentiā facta sint, ultro ueniā impe-

errare solemus, Quando nec Chorda hūc quē uoluimus sonū tulit, neque semp quo sagitta mittitur, propositū ferit. Sed ita ueniā dabimus si nō rursus errabitur. Nam si sæpius identidē fiet: nullā amplius excusationē habere merebitur: Quēadmodū enim librarius q̄ ī eadē dictione scribēda sæpius peccat: damnatur. et Citharoedus qui semper eadem chorda tangenda sepius errat, ridetur. Sic qui sæpe monitus in eodem crimine Poeta cessat: uituperabitur, uelut Alexandri magni scriptor Choerilus qui paucos quidem bonos uersus malos uero quam plurimos facere est solitus Esto aūt aliquando Ciceronis iudicio dormitet homerus, In opere tam magno nullū uideri debet crimen.

Picturæ cū poesi affinitas.

VT pictura poesis erit, quæ, si propius stes,
Te capiet magis & quædam si longius abstes.
Hæc amat obscurum, uolet hæc sub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Poesis Immitari debet picturam.

ITAq; uestra poesis facit esse ut pictura quemadmodum enim hæc spectari cōsueuit, alia longius, alia ppius alia ī obscuro, alia sub aperto & tunc creditur esse perfecta quū umbris luminibusq; suis interstincta cognoscatur, ac nullius unq̄ iudicis iudiciū uereatur. Sic et illa quedā proferre debebit a loco pximiore: quedam a longinquiore: quedam enunciabit obscurius: quedā apertius, modo rem solis lineamentis designatam: modo perfectissime suis coloribus exornatam.

Poeta nemo q non sit summus

O Maior iuuenum, quamuis et uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle menor, certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi, consultus iuris, & actor
Causarum mediocris abest uirtute diserti
Messalæ, nescit quantum Casellius Aulus,
Sed tamen in precio est. Mediocribus esse Poetis

Non Di, non homines, non concessere columnæ.
Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer
Offendunt, poterat duci quia coena sine istis,
Sic animis natum, in uentumq; poema iuuandis,
Si paulum a summo discessit, uergit ad imum.

Devirtute.

NON *autem est in hac arte Pisones: quod in cæteris eue nit rebus: ut mediocritas quedam ipsa laudari posit. Mediocris qdem Iurisconsultus, & mediocris Causidicus, quamq̃ ad. M. Messalam, & Aulum Casellium non accedant. Laudantur tamen. At uero mediocrem poetam esse nec hominum nec diuorum auctoritate permissum. Nam quum carmen ad oblectandos animos sit inuentum, nisi ad summam ipsam perueniat, Lectoris animum offendat: necesse est: ueluti conuiuarum animos symphonia: si discordet: & Vnguentum si deputreat quæ multo melius erat, si adhibita non fuissent.*

Non datur mediocritas í poetis.

LVdere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ, disciue, trochiue quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ,
Qui nescit, uersus tamen audet fingere, quid ni?
Liber & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, uitioq; remotus ab omni.

Antipophora, vt cum stomacho pronunties

Poetarum ineptitudo.

NVLLA *uero maior ineptitudo Pisones q̃ istorum qui quum uideant cæteros omnes abstinere his ludis quos ignorant: hoc ipso metu, ne derideantur, audeant tamen tanta præsertim difficultate proposita, quos nesciant uersus affingere: Nam quod aiunt quid ingenuo bonoq; uiro potius agendum? nihil quidem minus: q̃ ne ineptus esse uideatur.*

TV nihil inuita dices, faciesq; Mineruа.
Id tibi Iudicium est, ea mens, siquid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aureis,

Et patris, & nostras, nonumq; prematur in Annum.
Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris. nescit uox missa reuerti.

VOS autem Pisones (ingenio repugnante) nihil facere dicereq; debebitis. Si quid uero uobis antea scriptum extiterit: in acerrimum iudicium Metij, Gaurici, nostrumq; deducatur, & in plures annos castigationi subijciatur: neq; quod multi faciunt temere librum ædatis: nam si quid erit castigandum, licebit ut deleas, si non sit emissum, Emissa enim uox, reuerti amplius nullo modo potest.

Syluestres homines, sacer, interpresq; Deorum — Orphei fabulæ interpretatio.
Cædibus, & uictu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigreis, rapidosq; Leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo uellet, Fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atq; — Poeticæ honos & vtilitas.
Carminibus uenit. Post hos insignis homerus.

NVNC de hexametro Lyricoq; pauca dicamus, hexametri quidem Carminis argumentum olim in primis fuit, ut homines à cædibus ferinoq; uictu deterrerentur: & ad relligionem, sanctæq; uiuendi rationem impellerentur. Quod primus omnium sibi desumpsit Diuinissimus Orpheus: qui ob id ipsum: feras lenisse: ac siluas cantu traxisse dictus est, Mox autem mores priuatos publicosq; describere: Prophanos à sacris seiungere: Adulteria prohibere: Conuigia sancire: Res publicas constituere: ac bene uiuendi leges illis imponere, Quam materiam sibi uendicauit Amphiō Thebanus: qui ob eam rem dictus est ad Thebarum muros effabricandos cantu sonoq; ipsos

De Carmine horoico.

etiam Lapides ac saxa mouisse, Quibus in rebus etiam uersati sunt Musæus. & hesiodus: qui diuini Poetæ nuncupari meruerunt. Hos autem secuti sunt homerus, ac Tyrtæus Athenienses, Quorum alter (ut Isocrates interpretatur) Græcorum animos hortatus est ad bellum aduersus barbaros, Exemplo. Alter uero lacædæmoniorum aduersus Messenios Impulsione, Quin et oracula, sortesq; Sybillinæ p hoc genus Carminis explicatæ.

Tyrtæusq; mares animos in martia bella
Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes
Et uitæ monstrata uia est, & gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusq; repertus,
Et longorum operum finis, ne forte pudori
Sit tibi musa lyræ solers. & cantor Appollo.

De carmine Lyrico.

LYRICOVM autem modorum materia fuit, ut hominibus uiam ad uirtutem significaremus, Regum gratiam aucuparemur, interdum & colluderemus, breuiterq; omnem illam superiorem materiam coarctaremus, ne lyricos nostros pudori uobis esse putetis, De Elegiaca uero & Iambica materia superius est dictum: Ac de cæteris quidem generibus eorum qui Artes & scientias Carminibus tradunt, & qui Epigrammata, Nænias Epithalamia Citharædicasq; cantiunculas componunt precipere, nihil quidem est necessarium, modo Græcos authores in omnibus sequi studeatis.

Poetæ ingenio & arte opus esse.

NAtura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit uideo Ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Labore parari immortalitatē nō ostentatiōe.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit uenere & uino, Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.

Nunc satis est dixisse, ego mira poemata pango.
Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici, sane nescire fateri.

QVOD autem hoc in loco sententiam meam rogatis. Vtro magis laudabile Poema conficiatur, Arte an Ingenio? Mihi quidem uidetur sic alterum alterius indigere, ut nec ars sine ingenio nec Ingenium sine arte prodesse ualeant. Itaq; uos hortor Pisones omni studio Poeticam hanc artem assequi contendatis: neue Ingenio tantum uestro fidatis, Nulla si quidem ars est quæ non sine magno labore comparetur, & ingenio tantum confidere periculosissimum existimatur, Ita enim nobis humana natura comparatum est ut omnia prius addiscere q̃ scire uideamur.

Arte an Ingenio Poeta constet.

VT præco ad merceis turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positis in foenore nummis.
Si uero est, unctum qui reste ponere possit,
Et spondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter
Noscere mendacem, uerumq; beatus amicum.

Caute adhibendi censores diuiti ne quid in gratiam loquantur

RELIQVVM est Pisones, quandoquidem plurima sunt de quibus Præcepta traddi non possint, multoq; melius tunc quum facta sunt cognoscantur, monere ne nimio uestri amore decipiamini. Neminem enim tam malum Poetam (Cicero Inquit) iudi qui non optimus sibi uideretur. Vos igitur ab omni uestrorum Carminum recitatione procul assentatores amoueatis, Current enim si qua spes lucri, tanquam ad merces de lapide coemendas.

De errore.

TV seu donaris, seu quid donare uoles cui,
Nolito aduersus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ, clamabit enim pulchre, bene, recte

Pallescet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram,
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor uero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus. Si Carmina condes,
Nunq̃ te fallant animi sub uulpe latentes,
Quintilio siquid recitares, corrige sodes
Hoc aiebat, & hoc. melius te posse nagares,
Bis, terq; expertum frustra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere uersus.
Si defendere delictum, quam uertere malles,
Nullum ultra uerbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine riuali teq; & tua solus amares,

Amici diligenter explorandi.

Quintilii uari censura.

NEq; quibus quid dederitis uel daturos esse receperitis debitores admittatis: ut enim Praefici dicunt ac faciunt plura quã qui ex animo lugent: sic isti plura q̃ qui uerissime laudant, Reges potius erunt uobis imitandi, qui neminem prius in familiaritatem accipiunt: q̃ multis experimentis illum amicitia sua dignum approbauerint, Vt uos non nisi amicissimo uerissimoq; sodali recitetis. qui non modo ueluti nuper Quintilius uarus moneat: hoc corrigas & hoc. sed qui tanq̃ Grammaticus Aristarchus: Versus ociosos esse demonstret. Duros reprendat: Inconcinnos oblinet: ambitiosos resecet: Obscuris lucem dandã admoneat: ambigua rederguet: & quae mutanda uideantur ad notet, sunt enim aliqui qui Poetam amicum offendere in tam minutulis erroribus nolunt, Qui profectò non sunt amici, quum derisoribus illusoribusq; traducendum amicum exhibeant.

De Emendatione.

VIR bonus, & prudens uersus reprehendet inerteis,
Culpabit duros, imcomptis allinet atrum

A quo petendũ consilium.

Transuerso

Transuerso Calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucē dare coget,
Arguet ambigue dictum. mutanda notabit
Fiet Aristarchus, nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel, exceptumq; sinistre.
Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut phanaticus error & iracunda Diana,
Vesanum tetigesse timent, fugiuntq; poetam,
Qui sapiunt, agitant pueri incautiq; sequuntur.
Hic, dum sublimeis uersus ructatur, & errat
Sic ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueam ue, licet succurrite longum
Clamet Io ciues, non sit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & dimittere funem,
Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atq;
Seruari nolit? Dicam, siculiq; poetæ
Narrabo Interitum, Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit, sit ius, liceatq; perire poetis,
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti,
Nec semel hoc fecit, nec retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.

Quam periculosa persuasio.

Pestilens immodica gloriæ sitis ex Empedoclis historia.

NE uero uos ex istorum numero sitis qui dum sibi optimi Poetæ uidentur, nullam præterea castigationem admittunt, Merito enim illi à prudentioribus uiris fugiuntur, & a Pueris exagitantur. Lapsiq; nullum inueniunt adiutorem. Quin prorsus ualeant, & Empedoclis fatum imitati, omnes se se cum suis Carminibus in Ardentem Aetnam inijciant, Ac neminem qui ferat opem morituris, inueniant, Et certe idem scelus est, hominem inuitum seruare, atq; occidere. Sæpius enim eodem recurret, & si sæpius à morte retrahatur cupiet tamen turpiter emori.

Castigationes gratanter accipiendæ.

NEc satis apparet, cur uersus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Mouerit incoestus, certe furit, ac uelut ursus
Obiectos caueæ ualuit si frangere Clathros,
Indoctum, Doctumq; fugat recitator acerbus,
Quem uero arripuit, tenet, occiditq; legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo

QVOD si uersus facere uidentur: non ex ratione faciunt: sed ex furore certaq; uesania: quam ira deorum: ob eorum scelera concitauerint, Itaq;(uelut Vrsus quum e cauea profugit) oēs pariter obuios Auditores doctos indoctosq; fugant, si quem uero forte arripuerint, hunc nunq̃ amplius dimittunt: sed uelut hirudo tam diu detinebunt: donec ad plenum exaciati: non amplius poterunt.

HEC uero sunt mi pucci, quæ de Arte Poetica fuerunt ab Horatio precepta Pisonibus. Tu si quid in hoc opere nostro desideraueris fac ut sciam, Per me quidem non stabit quin tibi sit cumulatissime satisfactum, sed ut Epilogum etiã habeas: In hac uacua pagina: tamq̃ in ænea Tabula Poeticas leges sine ulla interprætatione nudas tibi proponam.

QVISQVIS OPTIMVS MAXIMVS POETA futurus es, ne uanas Ideas mente concipito. Rerum æquabilitatem adseruato. Suum cuiq; rei locum tempusq; dato. A proposito nunq̃ recedito. Ne ullum in crimen a uirtute dilabitor, Vnamquamq; naturam quibus decet uerbis explicato. Ad finem operis respicito. Circa res friuolas moram ne facito. De ea re quam non recte nosti ne scribito. Cuius rei pondus ferre non poteris, ne subito. A principio rem ne repetito. Neue ad finem usq; deducito. Artificiossimas periodos facito. Verba quæ sint optima usitatissimaq; deligito. Noua uerba (si

sit opus) caste modesteq; componito. Numeros suos rebus ipsis adhibeto. Habitus Coloresq; suos adpingito. Opus ipsum dulce uehemensq; conficito. Animo uultuq; ad rei naturam conformator. Verba rebus Personisq; adcommodator. In nouis personis tibi cõstato. In aliunde translatis aut famam sequitor: aut quæ conueniant adfingito. Potius deducticiam q̃ nouam fabulam dato. In re uili manifestoq; loco ne laborato. Verbum uerbo reddere ueluti fidus interpres ne curato. In angustias imitator nimius ne deuenito.

HEROICI *carminis principium castigatum ac decens non autem inflatum ac tumens esto. Sed nec longinquius altiusq; repertito. Ad finem euentumq; rei festinato. Res medias tamq̃ notas attingito. Quæ dilucide tractari non possunt relinquito. Principio medium & medio finis ne discrepato.*

COMAEDIAM *Tragœdiamq; scripturus Personarum in primis qualitatem adseruato. Vnicuiq; naturæ atq; ætati suos mores dato. Quæ intus agi conueniant in Scenam ne proferito: sed potius enunciato. Plures paucioresue q̃ quinq; actus ne sunto. Quartam personam colloquentem ne introducito. Nec Deum aliquem nisi qui rem dirimat intromittito. Nisi quod apte cohæreat chorus non intercinito. Si Satyros inducere malueris: eorum lasciuiam multã contemperato. Inconditis asperisq; uerbis utuntor De rebus quæ ad ciues referantur moderatius locutor. Comicam Tragicam atq; Satyricam rem Trimetris componito. Spondæum secunda quartaq; sede non admittito. Tandem a Græcis Exemplaribus ne discedito.*

CARMEN *ut omni uicio careat uideto. Sæpius emendato. Vt artificiosissimum sit opus studeto. Recte scribendi fontem esse prudentiam existimato. Materiam ipsam tibi Philosophia suppeditato. Inanes uersus canorasq; nugas reijcito. Quid q; rem quamq; deceat obseruato. Si precepta tradas breuiter tradito. Quæ ad uoluptatem confinges uerisimilia confingito. Demum utilitatem cum uoluptate coniungito.*

In eadem re sæpius ne delinquito, Poesis ipsa picturam immitator. Poetam esse nisi qui ad summum fastigiũ peruenerit ne arbitrator, Ingenio repugnante ne scribito. Quod hactenus scriptum fuerit in Critici limam adducito. Librumq; nisi sæpius castigatum ne ædito.

HEXAMETRO *autem Lyricoq; uersu quã materiam componas dispicito. Artificium addito. Ingenioq; soli ne confidito. Quæ dehinc scribes: ut quid alij de te iudicent intelligas: recitato. Assentatores procul omnes amoueto. Verissimumq; tuis Carminibus iudicem adhibeto. Et que commonuerit gratanter accipito.*

POETICAE LEGIS EPILOGVS *Ita quidē habet: Ac quoniam ea lege monemur Graecos Poetas tanq̃ duces sequi oportere. Addam etiam tibi nunc uti liberales uiri facere solent illorum Catalogum, siue potius Epitaphios quei remanserunt Titulos. Vnde & qui nam sint: quos sequendos lex iubeat, de facie cognoscas. & quum illorum facta perlegeris, commodissime tibi deligere ualeas quem horum potissimum conseq̃re. Simul etiam Poeticae reipublicae q̃ augusta sit dignitas intelligatur. Quemadmodum enim ex istis tot dissipatis monumentis (quanta Romanorum Ciuium uirtus fuerit) extimemus. Sic & ex horũ inscriptionibus quae sit Poeticae facultatis ratio tota patebit. Neq; uero polliceor tibi me lustraturum singulos, esset enim res propemodum infinita quae nec. xx. q̃dem lustris perageretur. Sed ex ijs duntaxat optimates, & quei ad ostendendam Poeticae ditionis amplitudinem satis esse uidebuntur. Recensebimus autē eos ueluti per Classes & Centurias, ut q̃ fieri poterit, apertissime quum legeris intelligantur, Patria. Genus Aetas. & facta singulorum.*

PRIMO *Igitur ex ijs quei* EPOPOEI *nominātur, enumerabimus eos quei Theologiam perscripserunt. Quei futura fata Carminibus ediderunt. Quei rerum gestarum historiam Paulo fabulosius enarrarunt. Quei rerum naturā explicarunt. Quei bene uiuendi leges uersibus tradiderunt.*

SECVNDO *loco commemorabimus eos quei Elegiam celebrarunt.*

TERTIO *de ijs dicemus, quei Tragoediam Satyram & Comoediam excoluerunt.*

QVARTO *percurremus eos quei Iambos. Lyricos. Mele atq; Asmata cecinerunt.*

POSTREMO *quei Hymnos. Encomia. Epithalamia. Monodias. Epicedia. Threnos. Epitaphia. atq; Epigrammata cō posuerunt.* AB THEOLOGIS *igitur incipiamus.*

ORPHEVS *Thracius Oeagri & Calliopeiae filius, omnium ut fertur primus, undecim aetatibus ante bellum Troianũ, & lit*

teras & cœteras disciplinas ex Aegypto in Graciam traslulit. Scripsit autem Astrologica. Epodica. Magica & Hymnos.
ORPHEVS Ciconeus duabus ætatibus ante Homerum, Scripsit Mythopœian. Epigrammata et(quei nunc ēt extant) Hymnos.
ORPHEVS Odrysius & si pauca scripserit, Multa tamen in eum Poemata conferuntur Triasmi. quos Ionis Tragici fuisse uolunt. Argonautica quæ Cercopis Pythagoræi dicuntur. Viginti rerum sacrarum uolumina quæ Theognetus Thessalus scripsit. Fastorum & Oraculorum libri quos Onomacritus Atheniensis composuit. Item de pretiosorum Lapidum cælatura Timoclei Syracusani, Soteria Pergini milesij, Crateres Zopyri Heracleotæ, Thronismi & Bacchica: Niciæ Eleatæ Descensu, ad inferos: Orphei Camarinæi siue ut alijs uisum est Herodici Perinthij. Item Onomastica, Astronomica: Thiepolicon: Horoscopica, Corybantion, & Physica, quæ Brotmi fuisse credūtur.
FVIT autem & alter ORPHEVS Crotoniates, Circa quinquagesimam olympiada Pisistrati Tyranni amicicia clarus: qui Decaterian: & Argonautica scripsit. Orpheum autem illū Thracium pleriq; tradiderunt Lini Thebani fuisse discipulum.
LINVS quidem Apollinis & Terpsichoræ filius siue potius Amphimari & Vraniæ. Primus e Phœnicia in Græciam discipli nas attulit: Herculis Thebani Præceptor: ac Lyricæ musæ Princeps existimatus. Extant uero aliquot eius uersus Hexametri: paucissimi quidem: sed diuinissimi, quei(quantus uir ille fuerit) facile nobis ostendunt.
AMPHION Thebanus antiquæ musæ repertor: duabus ut Tatianus scribit ætatibus ante bellum Troianum: tria conatus est carminibus suis explicare. Temporis rationem. Animæ immortalitatem. & relligionis amorem. Quibus ad bene beateq; uiuendi formulam homines adducerentur.
THAMYRAS Edonius Arsinoes & Philammonis Poetæ filius: omnem Theologiam complexus est uersibus. 300.
Quomq; Musas in certamē prouocasset: est occæcatus. Sed Hymnæum Calliopes & Magnetis filium uehementer adamauit. In

quo disputare solent. Primus ne is fuerit qui puerorum amores est assectatus? An etiam Orpheus qui Calain dilexerit? An Talo Cretensis qui Rhadamanthyn exarserit? An Lainus qui Chrysippũ Pelopis filiũ deperierit? An et Itali Milites in Exercitu mulierum inopia: facinus in Armigeris adinuenerint. An non potius ipse Iuppiter qui Ganymedem rapuit, sceleris author extiterit?

MVSAEVS Eleusinus Atheniensis Antiphemi filius (Orphei q̃q̃ ipse grandior natu discipulus) Scripsit ad Eumolpum filium Hypothecas uersibus quattuor millibus. Item & de Trespotis historiam, quod opus Eugrammon Cyrenæus sibi uendicauit:

EVMOLPVS autem ipse Cerealia & syluarum Mysteria scripsit uersibus tribus millibus.

MELAMPVS Amythaonis filius Atheniensis: Ex ægyptijs sacris interpretatus De Saturni regno. De Titanum aduersus Iouem pugna.

De Proserpinæ raptu. De Cereris matris luctu. Deq; earum mysterijs multa uersuum millia composuit.

PALAMEDES Argiuus Nauplij et Clymenæ filius Agamẽnonisq; Regis Nepos: ipsis quidem Iliacis temporibus uir & sapientissimus & ad Poeticam facultatem aptissimus. Nam nõ modo cubum Stateram: illasq; quattuor litteras adinuenit. Sed & multa diuinissima Poemata præter Iliada conscripsit. Quæ propter inuidiam (Sæpe enim magnos quoq; uiros hec tangit) uel ab Agamẽnonis Nepotibus: uel ab Homero suppressa putantur.

PER hæc fere tempora SIBYLLAE fuisse dicuntur: quæ diuinas sortes & Oracula carminibus ædiderunt.

THESSALA de Tiresiæ uatis genere.

DELPHIS Beroso atq; Erimanthe genita.

COLOPHONIA de Calchantis stirpe.

SAMIA de qua librũ Eratosthenes cõposuit: Pytho nominata.

Hellespontia quæ Marmissum: Pagus is est prope Gorgition & Polichnen urbes Troadi finitimas, habitauit,

ERITHRAEA quæ prima Sambucam inuenit, Melicos mo-

dos continuit, & de Palmis quoque Librum conscripsit.
PERSIS siue Chaldæa Sambethe nuncupata Que Viginti Libros confecit. In queis omnium gentium ac Regionum fata continebantur. Quod autẽ complures in ijs uersus imperfecti, minimeq; boni reperiantur. Non quidem Vaticinantis fuit culpa, Sed discribentium quei aut uerba illius consequi non potuerunt, aut plane non intellexerunt. Nicanor qui Alexandri magni uitam scripsit, opinari uidetur hanc Darei qui ab eo deuictus est ætate fuisse. Ego uero plerisq; authoribus eam Semiramidos ac Cyri Persarum Regis temporibus fuisse crediderim. Annis quidem ante bellum Troianum uti Castor Thallus Porphiriusq; computarunt. 505.
CVMAEA quæ cymeriam Italiæ regionem incoluit. Amalthia suo nomine uocata, ob ingentem uero sacrarum rerum amorem Hierophile appellata. Vixisse autem annos supra Ducentos existimata.
TIBVRTINA cui proprium nomen Albunea fuit. hanc enim a loci ac tpis ratione potius q̃ Cumæam affirmarim. Nouẽ libros ad Tarquinium Priscum uenales attulit. Quorum preciũ quum ille recusaret, conbussit duos. Reliqui uero septem pari iam precio redempti, diu dum Imperium Populi Romani stetit, relligiosissime custoditi. Tandem ex quo seruati fuerant incẽdio absumpti.
INSIGNES etiam ante Homerum Poetæ memorantur.
ARISTEVS Prœconnesius Democharidis siue Caristrobij filius q̃q̃ eum aliqui. 55. Olympiade Cyri Crœsiue temporibus extitisse tradiderint. Scripsit autem Theogoniam uersibus mille. Arimasporum historiam uersibus ad quinq; millia. Hic autem est ille Aristeus cuius animã dixerunt, quum egressa corpore fuisset, in Corui effigiem reuertisse.
EPIMENIDES Cretensis. Asbolus, Centaurus, Euclus Cyprius, Orus samius, Drimo. Isatis & Protanides Athenienses.
HOMERVS autem ipse ob egregiam uirtutem solus Poetæ nomen assecutus Quibus parentibus & qua patria fuerit ortus:
quum ipse

quum ipse occultauerit: quærere iam superuacuum. Quibus autem temporibus uiguerit, quia pro termino quodam haberi solet. multi disquisiuere. Crates grammaticus genitum eum existimauit Annis post bellum Troianum. 80.
ERATOSTHENES. 100.
ARISTARCHVS. 140.
PHILOCHORVS. 180.
APPOLLODORVS. 240. Theagenes uero Rheginus qui Cambysæ temporibus fuit. Herodotus Halicarnaseus. Stesembrotus Thasius & Ephorus Cumeus: pauloante Olympiadas eum extitisse tradiderunt. Annis ab ilij excidio. 400. Megaclides autem et Chamæleo peripatetici. 500. olympiade 3. & 20. Annis ante Romam conditam. 160. Scripsit autem Homerus duo diuinissima Poemata Iliada & odyssean. Referunturq; ad eum authorem Ilias parua, Cræcorum reditus. Amazonia. Epicichlides. Ethiepactus. Iambi. Batrachomyomachia. Arachnomachia. Epithalamia Cyclus Cypria & Hymni.
HESIODVS Ascræus Dij ac Pycimidæ filius: ex optimo Agricola: optimus Poeta factus. Scripsit Theogoniam. operũ ac dierum rationem. Herculis scutum. Heroniarum Catalogum in libros. 5. Patracli amatoris Epicedion: & de Idæis Dactylis librum unum. Fuerunt uero quei Hesiodum antiquiorem Homero fuisse putarint. Nonnulli ambos eisdem temporibus ætatem egisse crediderunt.
PORPHYRIVS philosophus Centum annis post Homerũ fuisse contendit. Ante primam olympiada duobus ac. 20 Cœpisse autem dicuntur Olympiades Annis post Troiana tempora: 7. & quadringentis.
ABARIS Scytha Seuthi filius olympiade tertia Legatus Athenas uenit. Ibiq; Græcas litteras edoctus. Scripsit Appollinis ad hiperboreos aduentum Vnde fabulose dictus est: accepisse ab illo Sagittam: cuius uirtute ad Scythas e Græcia deuolauerit. Scripsit & Hebri fluuij Nuptias. Expiationes. Theogonias & Oracula.
F

MANAETHVS Item Aegyptius Iouispolites siue Sebennyticus omnem Aegyptiorum historiam & sacram & Popularem Græca oratione soluta conscripsit, Carminibus uero Phisiologica. Astrologica & Apotelesmata composuit.

ANTIMACHVS Heliopolites Aegyptius de mūdi creatiōe uersus Heroicos ad tria millia septingētos et octuaginta cōscripsit.

PISANDER Pisonis & Aristæchmæ filius ex Camera Rhodius olympiade. 33. q̄q̄ nō nulli ab Eumolpo Poeta dilectum: & Hesiodo antiquiorem fuisse crediderint. Scripsit Heracleia libris duobus: ubi primus Herculi clauam addidit.

PALAEPHATVS Actæi & Metaniræ filius Atheniensis Scripsit de Mundi generatione uersus ad. 5. millia Mineruæ Neptunni Apollinis & Dianæ progeniem. 3 millibus. Veneris & amoris dialogū uersibus totidem. Item Epea: et Latonæ crines.

TYRTAEVS Archimbroti Milesij filius Olympiade. 45. post urbem Romam conditam Anno. 115. Anco Martio regnante Athenis inclaruit. Scripsit uero bellicosorum carminum libros. 5. quibus Lacedæmoniorum animos exacuit aduersus Messenios. Quorum urbs. 20 post annos capta. Descripsit & Lacedæmonijs rempublicam: aiq; Hypothecas uersu Pentametro.

PARTHENIVS Chius Thestoris ex Homeri stirpe filius Metamorphosin composuit: & de Thestore patre multa Poemata conscripsit.

PANYASIS Polyarchi Halicarnasæi filius Poeticā ipsam superiorum temporū incuria prope iam extintā reuocauit. Olympiade. 75. Quom Xerxes in Græciam arma mouit: Romæ Spurio Caßio & Proculo Verginio Coss. Quo āno primū lex agraria promulgata. Scripsit autem Heracleada libris. 14. Res Ionicas Pentametris uersibus. 1000. Colonias Ionicas Hexametris. 700. Item de Neleo & Codro.

CHOERILVS Samius qui & Halicarnaßus dictus ijsdem fere temporibus Puer speciosißimus e Samo profugiens apud Herodotum Historicum in Halicarnaso consedit: ac Poeticæ incumbens scripsit Atheniensium de Xerxe uictoriam. Ex quo q-

dem Poemate pro singulis uersibus singulos aureos Stateras accepit. Decretumq; ut in omnibus Scholis publice cum Homero legeretur. Scripsit & Lamiaca cum quibusdam alijs. Perijt autem in Macedonia: regnante tum Archelao.

FVIT & alter CHOERILVS ineptissimus Poeta: qui huius ipsius exemplo Alexandri magni gesta scribere conatus est: ac pro singulis bonis uersibus singulos Philippaeos, Pro malis uero Colaphos accipere solitus.

ANTIMACHVS Hyparchi Colophonij filius Panyasidis ac Stesimbroti Poetarum discipulus. Scripsit Thebaida fastidiosissimum opus. Quod quum recitaret: discedentibus caeteris. Platoni tamen (qui solus remanserat) recitare perseuerauit.

MVSAEVS Ephesius decem libris Perseida composuit: & in Eumenem atq; Attalum Reges inuectus.

PISANDER Nestoris Lycanij Poetae filius: Alexandri magni epibus uariam historiam sex libris complexus.

APOLLONIVS Rhodius grammaticus Syllei Alexandrini filius Callimachi Cyrenaei discipulus. Ptolemaeo qui Euergetes cognominatus Rege cuius Bibliothecae post Eratosthenē praefuit 4. Argonauticon libros uix tandem summo labore cōfecit.

THEOCRITVS Philines et Simmichi Siracusani filius magno Doridis linguae successu Bucolica composuit: quae frustra pleriq; conati sunt imitari. Referuntur ēt ad eū authorē Praetides. Elpides. Hymni. Heroinae. Epicedia. Elegiae Iambi atq; Epigrammata: qn et Oviū Fistula Bipēnis Cupido alatus et eiusmōi solatiola Bucolicorū uero Poetae tres. Hic ipse Theocritus: Moschus Siracusius Aristarchi grammatici discipulus: ac Bio Smirnaeus.

ARATVS Solensis Athenodori filius cū Antiocho Demetrij Poliorcetae filio Macedoniae Rege familiarissime uixit. Scripsit aūt haec Phaenomena. Spondophoros. Paegnia. Hymnos in Pana. Astrothesiā. Astrologiā. Anthropogeniā: Theriaca, Epithiticon in Theopropū. Ethopoeias ad Antigonum: Anatomen in Pausaniā macedonē. Cleombroti q se ob philosophiae studiū precipitarat Epicedion: ad Philā Antigoni coniugē. Epigrāmata.

Item oratione soluta in Odyssean Homeri, Epistolasq; quamplurimas.
NICANDER Xenophanis Golophonij uel ut alij uoluerunt Aetoli filius: grammaticus: medicus: & poeta Scripsit Attalo iuniore qui Galatonices cognominatus est Rege Sodalitiorum libros. 5. Georgica Theriaca. alexipharmaca. medicinarum sinagogem, Prognostica. quae de Hippocrateis translata. Item de omnibus rebus ad sanitatem conferentibus libros. 3.
SIMONIDES magnes Sipilius: scripsit magni antiochi Macedoniae Regis (qui tandem AB Attilio Consule deuictus est) gesta: Separatim uero bellū quod gesserat aduersus Galatas.
SIMONIDES alter Caristius siue Erethriensis scripsit conuentum achiuorum in aulide. De Iphigenia lib. 1. ac trimetrorum lib. 2. HOMERVS Sellius Ludicra.
THALETAS Gnosius fabulosiora sectati.
ANTIPHO autem Atheniensis quia quod nunc uulgo faciunt: monstra quedam sibi fingebat, ac uerbis utebatur Parasciticis. Teratoscopos & Logomagiros appellatus, unus enim hic satis sit uitiorum fugiendorum exemplar.
TIMOLAVS Larissaeus Anaximenis Lampsaceni discipulus: Rhetor: ad Poeticam tamen inclinatior: nouum quendam scribendi modum commentus est. Nam singulis Iliados Homeri uersibus suos tanq̄ necessarios subiecit: ut uideri posit Homero uerba fere totidem defuisse.
PTOLEMAEVS Citherius de Psalacantha herba librum unum aedidit: quam quidem admirandas uires habere praedicauit.
ARRIANVS qui Epopoeus est cognominatus Alexandriada conscripsit: quam ab Alexandro Macedone ad Attalum Pergamenum Tegem libris. 4. ac. xx. persecutus. Vergilij quoque Georgica transtulit.
OPPIANVS Coritius Cilix grammaticus & Poeta: scripsit ad Antonium Caesarem: Alieuticon libros. 5. Cinegenticon. 4. Iexuticon. 2. Qui quum recitarentur: quemadmodum & antea Choerilus Saminus: pro singulis uersibus singulos aureos stateras accepit: ad summā duū milliū. quot & in illis uersus.

QVINTVS Calaber Homeri paralipomena. 4. & 10. libris mirum in modum est consecutus.

NONVS Homerum æmulatus octo & 40. uoluminibus Dionisiaca composuit.

EIONISIVS Corinthius altero libro Greographiaca altero & Lithiaca complexus est.

COLVTHVS Licopolites Thebanus Anastasio Romanorum Imperatore, Sex libris Calidonica scripsit. Scripsit item Persica. Raptum Helenæ. & Encomia multa.

TRYPHIODORVS Ilij excidium unico libello cõposuit.

TIMOTHEVS Cazæus Grammaticus de quadrupedum ac Ferarum omnium quæ in India Arabia ægypto ac Libia forēt natura conscripsit. Separatim autem de Serpentibus & auibus externis quattuor libros ædidit. atq; in Anastasium Imperatorē de publico ærario iam exhausto Tragœdiam fecit.

PHYSICI uero Poetæ quattuor clarißimi uiri.

THALES milesius siue (ut Herodoto uidetur) Phœnix: Amij & Cleobulæ filius: qui primus inter Græcos sapiens appellatus. Natus ut pleriq; tradiderunt ante Cræsum Regem olympiade 35. ut autem Phlegetonti uisum: Notus esse cœpit. 7. Scripsit uero Metheora: Isemerian: & alia multa: peritißimus Astrologiæ a Thressa tamen ancilla (ut refert Plato) delusus. Phisici: Poetæ.

XENOPHANES Colophonius Anaxagoræ Calzomenij discipulus. Diuinam Humanamq; naturam omnem diuinißimis uersibus est complexus: Quorum aliquot operæprecium intellige re. Ac quoniam ex Græcis Latinos bonos facere non licet: eorum sententiam explicabo. Sunt enim in hec prope modum uerba descripti.

VNVS quidem Deus inter omnes Deos Hominesq; maximus: Qui nec corpus nec mentem eandem quam & mortales habet. At uero stulti genitos deos esse putant: Quin & uestem & uocem & artus suos habere credunt. Quod si quis pinxerit Bouē aut Leonem humanis manibus uel scribentem: uel quid aliud cõ ficientem. Reclamarent protinus: Equos equis: Boues bobus Deus Vnus.

similes esse oportere. Ipsi tamen omnes (quod magis expers rationis est) Deorum facies sculpunt: Aediculas (tamquam ubi habitent non habeant) illis aedificant. Et multa eiusmodi de Diis qualia ipsi faciunt monstra confingunt

QVORVM *quidem Carminum sententiam Xenophanes de Sybilla furatus. Sic enim illa cecinerat, Humana caro non potest oculis aspicere Deum immortalem qui Polos habitat: Immo nec adversos Solis radios intueri.*

PARMENIDES *Pyretus Eleata Xeophonis Colophonii: uel (ut scribit Theophrastus) Anaximandri Milesii qui Thalem audiuit discipulus. De uno rerum omnium Principio subtilissime disseruit. Extant enim & huius complures uersus quei diuinam illam scribendi materiam Platoni suppeditarunt.*

EMPEDOCLES *Methonis siue Archinomii Zenetiue filius Agrigentinus. 60. olympiadis anno. 2. qui fuit alter & tricentesimus ab urbe condita: quo primum. 10. uiri Romae creati Parmenidis (ut Porphirius scribit) exoletus: ac Telaugis Pythagorae filii discipulus: Gorgiaeq; Leontini Rhetoris praeceptor. Tres de rerum natura libros Duobus millibus uersuum scriptos aedidit. Quum uero magnam ex scientia rerumq; futurarum praedictione gloriam assecutus esset. Seq; a populis tamquam deum aliquem obseruari uideret: quo fidem eam confirmaret. Aliquandiu solus Siciliae urbes ambiuit. Aeneas soleas pedibus. Aureum diadema crinibus: Delphicasq; Corollas manibus gerens. Ne quod autem humani corporis uestigium relinqueretur. Et ne non omnino deus in coelum translatus esse crederetur. Intempesta nocte aethnam ascendit: ac se se in ignis craterem iniecit dumq; immortalis deus haberi cupit, mortalis ante diem effectus est. cuius quidem rei inditium factum: Sandalio ui flammarum emisso. Appellatus autem interdum a suis ciuibus Colysanemas, propterea quod asinorum pellibus per moenia dispositis: magica uirtute uentos in acrigentum flare prohibuisset.*

LEGIS LATORES *uero Poetae clarissimi fuerunt.*

Legislatores PERIANDER *corinthius Cypseli filius unus e septem*

greciæ sapientibus: olympiade. 58. Scripsit hypothecas ad uitam humanam uersibus Hexametris ad duo millia. Poetæ.

PICTACVS mitylenæus caico patre thrace & hyrradia matre Lesbia natus: olympiade. 32. & ipse unus e septem græciæ sapientibus: olympiade. 42. leges mille uersibus Elegiacis scriptas ædidit. Melanchrum tyrannum Mitilene expulit. Phrynonem atheniensium Imperatorem singulari certamine quasi Retiarius myrmillonem occidit.

SOLO atheniensis & ipse inter sapientes: olympiade. 46. qui Annus Romæ fuit. 33. ex quo regnare cœpit Tarquinius priscus Leges elegiaco uersu scriptas Atheniensibus dedit. Quas propterea quod ligneis tabulis inscriptæ fuissent: axonas appellarũt. Carmen etiam quod Salamis inscribitur de themistoclis uictoria composuit. De antiquitatibus autem heroico uersu scribere instituit. Quod quidem opus si per publicas occupationes ei perficere licuisset. Maximus (ut ait Plato) poetarum omnium extitisset. A pisistrato tyranno in exilium pulsus Ciliciam incoluit: ibiq; urbem de suo nomine Solos condidit Sunt & qui Solos quæ urbs in Cypro est: ab eo illic mortuo dictam fuisse uelint. Ea dẽ ætate atq; ex eodẽ sapientũ et legis latorũ poetarũ collegio.

CLEOBVLVS Lindius Euagoræ filius: fortitudine ac pulchritudine cæteros mortales antecelluit. In ægypto philosophiam cum Solone didicit. Asmata: & quos griphos appellant: uersibus ad tria millia composuit, Periit autem ætatis anno. 70. Relicta Cleobula filia: quæ patrem emulata uersibus hexametris ænigmata conscripsit: cuiusmodi fuit illud de Anno: Est pater huic bis sex nati: & terdeni nepotes. Cleobuli autem oracula fuerunt. Amicum amico benefacere, ut sit magis amicus: Inimicum uero conciliare, ne sit inimicus. In prosperis rebus nõ esse superbiendum. In aduersis non succumbendum. fortunæq; mutationes generoso fortiq; animo tolerandas.

PHOCYLIDES milesius olympiade. 57. Quod Romæ incidit i. 203. Annũ ab Vrbe cõdita Seruio Tulio regnũ obtinẽte. Priuatas bene uiuendi leges scripsit uersibus quei nunc etiam ex

tant hexametris. 116. magna ex pte de Sibillinis furatus.

EIVSDEM ferme ætate THEOGNIS magarensis Siculus ad Cirnum adolescentem bene uiuendi præcepta collegit elegiacis (quei iam extant) uersibus. 1218. Quos quidem multa lascinia coinquinauit: siue potius ut uideri potest exornauit. Scripsit & elegiam in syracusanos obsidione liberatos. ac multas alias sanctissimas institutiones.

PYTHAGORAS samius circa. 60. olimpiada. 50. Tarquinio superbo Romæ regnante. In ultima Italiæ ora circa metapōtum & crotonem philosophiam professus. omnem bene ac beate uiuendi normam aureis uersibus hexametris. 61. complexus est.

NVNC age qui nā in ELEgia scribenda claruerint uideamus atq; istam in primis grammaticorum litem ex sententia dirimamus. Mihiquidem uidetur: Elegian (non uti uulgus extimat) ab Eleein: quod est misereri: sed ab Eleginein, quod apud Priscos græcos erat desipere, dictam fuisse modulationem. quam primus Theocles Naxius siue Eritreus insaniens flebiliter modulatus est. Primo quidem ad querimoniam, Deinde ad cæteras quoq; res explicandas acceptam. Claruerunt igitur in ea scribenda preter quos nominauimus circa Solonis ætatem.

MIMNERMVS Lygirtiadæ, quem alij Colophonium alij Smyrnæum alij Astypalensem dixerunt, ob ipsam Carminum suauitatem Ligyastades appellatus.

Elegiographi Poetæ.

EVPHORIO Polymnesti Chalcidensis. In Philosophia Lacydæ ac Prytanidis. In Poetica uero Archebuli Thyræi Poetæ a quo dilectum fuisse ferunt Discipulus olympiade 108. Quom in Italia Pyrrhus Epirotes a Curio Dentato Cos. deuictus est. Scripsit præter Elegiacos libros, etiam Epicos, quei uarias mille annorum historias continent. Eorumq; Titulus Mopsopia, quia sic olim Attica Regio ab Occeani filia uocabatur. Scripsit item & alteros quei Quintachilias inscripti, quoniam quinq; libris interpretatus est Sibillarum oracula Mille annorum spacio terminari.

PHILETAS Cous Telephi filius, Alexandri magni ætate

Criticus.

Criticus. Ptolemæi secundi Præceptor. Præter Elegias q̃plurimas: scripsit etiam Epigrammata. Dum orationis falsitatem inuestigat. nec repperit: dolore absumptus.

CALLIMACHVS Cyrenæus: non Batti & Mesatmæ filius qui grammaticam professus est. Sed huius ex sorore Nepos. Qui Ptolemæi philadelphi ætate omne genus Carminis est complexus. Nam præter Elegias, scripsit etiam Comœdias & Tragœdias & Satyras & Epigrammata. Scripsit Ionis aduentum, Semelem. Glaucum, Musæum. Indicem eorum omnium qui per singula tempora docuissent. Indicem librorum Democriti. Indices rerum in omnibus disciplinis notabilissimarum. Quemadmodum Menses a singulis Ciuitatibus ac populis appellentur. Scripsit Colonias argiuas, Archadiam. Insularum atq; urbium ædificationes Appellationesq;. De fluuijs quei sunt in Europa. De rebus admirabilibus in Peloponeso & Italia. De piscibus. De uentis. De Auibus. fluuijs quei sunt in toto orbe. Rerum in omnibus Regionibus admirabilium Synagogen. Postremo Diras in Apollonium Rhodium, quem ob uitæ similitudinem Ibin appellauit.

PARTHENIVS Eudoræ & Heraclidis Nicæi Myrleanicuæ filius siue potius (ut Hermippo uidetur) alumnus. Mytridatico bello in Manubijs a Cinna captus est. Cognita uero postmodũ eius disciplina Romæ manumissus est, et ad Tiberij Cæsaris principatum annis supra .100. uixisse fertur. Scripsit Elegias in Venerem. Aretæ uxoris Epicedion, ac separatim eiusdem Encomion libris tribus.

NVNC iam ad Tragicos Poetas transeamus. Horum autem omnium primus fuisse dictus est,

THESPIS quidam Atheniensis ut ego quidem arbitror Erechthei filius a quo Thespiades dictæ Quinquaginta eius filiæ, quas omnes una nocte uiolauit Hercules. Nam Sexdecim eodẽ nomine Tragici Poetæ censentur. Inter quos Thespis Icarij filius quem non nulli secundum fuisse dixerunt Cuius hæ feruntur Fabulæ. Athla Pelei. Phorbas Sacerdotes, Semidei et Pentheus. Tragici Poetæ.

PHRYNICHVS Minyri filius Athenienſis: Theſpidis diſcipulus. Primus in Scæna muliebrem perſonam oſtendit ac Tetrametrum in tragœdijs adinuenit: Nouem huius feruntur fabulæ. Pleuronia. Aegyptij. Actæon. Alceſtis. Antæus. Dicæi. Perſæ. Scynthoci. & Danaides.

FVIT & alter PHRYNICHVS Melanthæ filius Athenienſis: Cuius fabulæ. Andromeda. Erigone. et quæ Pyrrhicæ nominãtur

CHOERILVS Athenienſis Cira. 70. olympiada fabulas docuit. 150. ter ac decies uictor: Non nulli authores ſunt. Primum hunc & Perſonas & uarios ornatus in Scenam attuliſſe.

AESCHYLVS Athenienſis Ephorionis filius annos natus. 25. certare cœpit. Eadem ferme tempeſtate. qua primi Tribuni plebis Romæ creati C. Licinius & L. Albinus: Quum in ſacrum montem plebs a patribus ſeceßiſſet A. Verginio & T. Vetuſio Coſſ. Primus autem & Perſonas & Cothurnos & ueſtem oblongam Cæteroſq; Scenicos ornatus inuenit. Scripſitq; Tragœdias 70. quarum Satyricæ V. Septies & Vigeties uictor. Elegias etiã circiter. 20. Fugiens uero in Siciliam anno ætatis. 60. propterea quod ſe docente Tabulata cum ſpectatoribus concidiſſent: Hieroni Tyranno cæteriſq; cariſsimus fuit. Poſt tris uero q̃ eo uenerat: annos. Dum ex oraculi ſententia Ruinam de Cœlo imminentem caueret: Teſtudine quam Aquila ferebat in caluum Senis caput demiſſa occiſus eſt: ac publicis in monumentis ſepultus. Relictis filijs duobus Ephorione ac Euæone: quei & ipſi quoq; Tragici fuerunt. adeo autem deſideratus poſt mortẽ Athenienſibus fuit: ut publico decreto: ijs quicunq; fabulas eius attinarent: certum auri pendendi pondus promiſſum fuerit. Extant quidem nunc eius Trẽgœdiæ ſeptem. Promætheus. Eumenides. Eccephori, Perſæ. ac ſeptem duces quei uenerunt ad Thebas.

SOPHOCLES Sophili Athenienſis filius natus olympiadei 73. annis prius q̃ Socrates. 17. Primus omnium in tragœdia tribus actoribus atq; eo qui Tritagoniſtes uocatur eſt uſus. Primus Tragicum chorum ex. 15. quei prius erant. 12. iuuenibus inſtituit. Primus præcedentem actum urgere ſequentem in

duxit. Eamq; quæ fieri antea solebat Stratologian sublatulit. Docuit autem fabulas. 108. atq; ut non nulli tradiderunt: multo plures. Equibus supersunt. 7: Aiax mastigophoros. Electra. Oedipus tyrannus. Oedipus coloneus Antigone. Trachiniæ & Philoctetes: quater ac uigeties uictor. Scripsit etiā Elegias & Paanas & de choro aduersus Thespin & chœrilum ob mellifluam orationis iucunditatem Apicula nuncupatus. Perijt post natum Euripidem annis. 6. præ nimio gaudio quum ex tragœdia uictor declaratus esset. Relictis filijs Iophone. Leosthene. Aristone. Stephano ac meneclide. Fuit autē et alter SOPHOCLES superioris ex Aristone filio nepos: qui docuit fabulas. 40. siue ut aliqui uoluerunt non plures. 11. Septies uictor: qui scripsit & elegias: ac semper summa eum pudicitia uixit. Et si quidam turpissimæ libidinis genus in eo criminati sint: qđ nec Euphrates qui plurima in illum scelera cōfixit est calumniatus Dictus uero sapētiā cauponari quū fabulas uenditaret.

SOPHRO siracusanus agathoclis & Dannasillidis filius: magnum per hec tempora nomen consecutus. Scripsit quã & sophocles doride lingua. mimos uiriles & mimos muliebres. Quos quidem libros aiunt Platonem ita semper in manibus habere solitum: ut plerunq; super ijs edormierit.

EVRIPIDES atheniensis Mnesarcho & Cletona nobilissimis (ut scribit Philochorus) parentibus natus est. Quo die uictus a Themistocle Xerxes: olympiade. 76. Qualisq; futurus esset Apollinis oraculo antea significatum qui eum apud omnes homines gloriosissimum fore cecinerat. Primum quidem pictor fuit: mox ad Prodicum rhetorem se contulit: Philosophiam autem quæ est de moribus a Socrate percepit. Eam uero quæ est de natura rerum ab Anaxagora clazomenio didicit. Tandem se ad tragœdiam contulit: unde scænicus Philosohpus appellatus: homo tristis: austerus & abhominim consuetudine multum abhorrens. Quum autem ad Archelaum Macedoniæ regē uenisset: ac in magnis honorib⁹ apđ illū esset: ob inuidiā Poetarū

Arridæi macedonis et Cratæue thessali quei lysimacho Regis sæmulo persuaserant: ut canes in eum relaxaret: a canibus est dilaceratus. Queidam tamen non a canibus sed a mulieribus dilaniatum tradiderunt: quum ad Craterum archelai dilitias(nam hisce amoribus tenebatur)intempesta nocte uenisset. Contra uero non nulli non cum Cratero: sed cum Nicodemi arethusij coniuge deprehensum atq; interfectum. Vixit annos. 75. Ossa uero Pellam a rege translata: fecisse fabulas opinantur alij. 75. quot & annos uixit. Alij uero. 92. Quarum nunc extāt. 18: Hecuba. Orestes. Phœnissæ Medea. Hippolitus. Andromache. hicetides. Iphigennia in aulide. Iphigennia in Tauris Rhœsus, troades bacchæ. cyclops. heraclidæ. helena. Io. & Hercules furens. Declaratus est uictor quinquies, quater dum uiueret: semel uero post mortem. Docente nepote qui etiam Euripides cognominatus. Perijt autem olympiade. 93.

PHILOCLES Polypiihei filius Aeschyli Tragici nepos paulo post Euripiedem scripsit fabulas. 100. quarum hæ fuisse dicuntur Erigone. naupiius. œdipus. œneus, priamus. penelope. Philoctes. Ob orationis uero amaritudinem fellis nomine Philochoeles appellatus. Habuit & filium Morsimum Trigicum ineptum: ex quo nascitur Astydamas qui & ipse Tragicus. ex quo iunior Philocles Atheniensium Imperator.

ACHAEVS Pythodori Erethriensis, post Sophoclem natus olympiade. 84. docere cœpit una cum Euripide. 92. Docuisse autem fabulas tradiderunt alij. 94. alij, 30. alij. 24. Fuisseq; semel tantum uictorem.

ARISTARCHVS Tegeates per hæc tempora. Primus antiquarum Tragœdiarum prolixitatem emendauit: docuitq; fabulas. 70. bis tantum uictor. Vixit uero annos amplius Centum. Dum autem in morbum quemdam incidisset ab Aesculapio sanatus est. Hac indicta mercede. ut salutis Authori gratias referret. At ille Tragœdiam eius nomine Asclepiam ædidit. In qua fere in hanc sententiam scripserat. Sanitatis mercedem Dij quidem ipsi nec postularent nec caperent. Quomo-

do enim? Si quæ maxima bona sunt, ultro nobis elargiuntur, Permittuntq; Solem ipsum aspicere, tanti Dei tam fœlices radios sine ullo precio capere: tam uarios Aquæ atq; Ignis usus habere. Deniq; uitalem hanc auram carpere & pro arbitrio frui: Verũ enimuero in his quoq; minimis uolũt nos neq; ingratos neq; prſus beneficioꝝ ĩmemores uideri, ac nr̃ã quoq; uirtutẽ eo mõ spectari.

NICOMACHVS Atheniensis etiã hoc loco nomen meretur. qui præter omniũ expectatiõem uicit Euridicem & Theognin in Oedipo.

THEOGNIS aũt ipse ob frigiditatẽ fabularum Chion uocatus.

AGATHO Atheniensis parum quidem uehemens tragicus fuit, at moribus optimis, uictuq; splendidissimo: ut merito fuerit omnibus amicis iucundissimus. Fertur Plato scribendi Symposij occasionẽ accepisse quom apud hũc Agathonẽ cænatũ fuisset.

THEODECTES Aristandri ex Lycia Phaselites, Platonis Isocratis Aristotilisq; discipulus Rhetor ad Tragœdiam conuersus docuit fabulas. 50. fertur & in laudando Mausolos positis præmijs ab Artemisia coniunge, certasse cum Naucrate Erythreæo, Isocrate Appolloniata, & Theopompo Atheniense, ac primas in Tragœdia reportasse, q̃q̃ alij de Theopompo traddiderint. Scripsit & Hexametris uersibus artem Rhetoricam. Perijt autem ætatis Anno. 41.

CARCINVS Atheniensis, ante Philippi Macedonis Regnum. Olympiade Centesima, Fabulas ædidit. 160. Quarum numero fuerunt Achilles & Semele.

APOLLODORVS Tarseus scripsit Thyesten. Acanthoplecem. Tecnoctonon. Græcos Hicetidas & Vlyssem.

SOPATRVS Panodus Bacchin Hippolitum Physiologon Silphia Cnidia. Necyan Pylas Oresten & Phacen.

CEPHISIDORVS Antilain amazonas, Meas & Suem trophonium.

TIMESITHEVS capaneum Herculem Ixionem, Danaidas. Hectoris lytra. Iouis progeniem. Helenæ repetitionem. Memnona. procos. Orestem. Pyladem. Castora & pollucem.

STRATTIS Atheniensis Anthroporesten. Atalantam. agathos. limnomedontem Macedonas. Medeam. troilum. phœnissas. philoctyren. argenti aphanismon. aphigeronta. callippiden. cinesian: chrysippum pausaniam & psychastas. PRIMA quidem Tragicorum Poetarum classis in hunc modum se habet: Nunc uero secundam (quæ a septem stellarum similitudine Pleias appellata) recenseamus. Hec quidem non pluribus q̃ septem uirorum capitibus constat Quei omnes circa Prolemei philadelphi tẽpora colluxerunt. olympiade. 15. supra centesimam.

SOSICLES syracusã⁹ SOSIPHA nesq; filius fabulas docuere. 73

Septem Tragici Poetæ.

SOSISTEVS ex Troade Alexndrinus. 30. HOMERVS andromachi & myronis Bizantiæ filius grammaticus. 45.

PHILISCVS philoti corciræi filius: Dionisyq; sacerdos: a quo Philiscium quoq; metrum denominatum. 42.

NICOMACHVS Alexandrinus hasche. 15. Eryphilen. gerionem. Alexandrum Ilethyan. aletida. neoptolemum mysos persida. polixenam. trilogian. œdipum. metecbanusas teucrũ. tindareum & alcmanona.

LYCOPHRO Soclei chalcidensis. Adoptione uero Lyci Rhegini filius. 21. quarum hec nomina. Pentheus. Elephenor. andromeda. æolus. alethes. æolides Hercules hicetæ. cassandris. hippiliscus. marathonij. laius. nauplius. œdipus primus. œdipus secundus. symmachi. pelopidæ. telegonis. orphanos. chrysippus. & quæ omnium instar alexandra. Vbi & finem quoq; tragœdia fecit. Post hos enim nullus quem ego sciam ad hec tempora fuit: qui ex ea laudem aliquam mereretur. Nisi forte unus Sophocles atheniensis: qui scripsisse fertur fabulas. 10. & alter Gregorius nazianzæus Polemonis laodicensis Rhetoris discipulus: qui uulgatissimam de Christo Tragœdiam exornauit. Dicta uero tragœdia: sicuti cæteros interpretatos esse uideo: uel quasi Trygodia: quod Prisci carminum tragicorum actores ora uinifæcibus illinierint: uel tragodia quod carminis eius precium Hircus fuerit. Ita quidem suspicati: quoniam

Tragœdia

in Tragœdijs: Satyros cum hircis Baccho colludentes introduc

uiderent. Ego uero contra tragodian græce dictam esse reor. non a fæcibus. aut ab hirco sed quod asperos cantus luctusq; contineret: quasi Trachodian mediæ tantum litteræ spiritu cõmutato: Nam quod Bacchus Satyri & Hircus introducebantur. Est enim id animal petulantissimum. Nota quidem hec erat. Sine Cerere & Baccho friget Venus. Prisca enim Græcorum lingua Satyri dicebantur Agricolæ: quei uino frumento cæterisq; rebus utensilibus plenas casas haberent. Quos etiam nunc Satyros appellamus. Hinc enim doctissimus Varro: libros suos plurima doctrina refertos Satyras inscripsit. Quin etiam satyri genitalibus Hircinis propterea fingi consueuerunt: ut ostenderetur: omnem libidinis intemperantiam ex saturitate prouenire. De Satiris.

SATYRARVM igitur Poetæ præter Aeschylũ duo præcipui Satirici Poetæ.

PRATINAS Eucomij siue Pyrrhonidæ phliasij filius tragicus cum Aeschylo Chœriloq; certauit: olympiade. 70. Docuit uero fabulas circiter quinquaginta Quarum Satyricæ. 32. Nõ plus q̃ semel uictor. Hoc autem docente accidit ut iterum tabulata cum suis spectatoribus corruerint. Ex quo primum tempore Theatrum apud Athenienses ædificari cœptum.

RHINTHO Tarentinus cerameis filius Comicus primi Ptolemæi temporibus natus. Scripsit fabulas tam tragicas q̃ comicas. 37. Proprium autem hoc habere debebit Satyra: ut tragicis calamitatibus locos immisceat: & a lachrymis in læticiam exeat: unde Ilarotragœdia nuncupata.

AGE nunc ad comicorum Poetarum capita recensenda deueniamus. Et quoniam ea est inter hosce diuersitas ut alij Prisci: alij Medij: alij uero & Noui dicantur: idq; non tam ex temporum ratione q̃ ex ipsarum Comœdiarum uarietate: non alienum erit opinior: prius quam illos recenseamus: Diuersitatis eius rationem cur facta sit breuiter explicare. Primos igitur illos Athenienses quei Comœdiam illam suam Agrestem cantum induxerunt. Nullam quidem aliam potiorem materiam quæsisse arbitror: q̃ ut inconditis Agrestium actionibus Ciuilem populũ oblectarent. De Comœdiarum Diuersitatem.

Donec Cratinus & Personas emendauit, & actiones in compo sitiorem modum redægit & uoluptati utilitatem admiscuit. Improbos ipsos Ciues tamq̃ publica uirga castigans. Quod quidẽ eo processit ut nec Iudicibus pecunia corruptis. Nec Imperato ribus cæteris ue quibuscunq; rem male gerentibus parceretur ad Aristophanis us q; ætatem, in quo uetus Comœdia finem sortita. Cæterum quum Respublica in paucorum potestatem redacta esset, Tyrannis in Poetas q̃ maxime sæuientibus, non ausi sunt am plius quemq̃ contumeliis insectari. Quamobrem illa uiuos uituperandi libertate sublata. Quandoquidem aliud non licebat, ad mortuos repræhendendos se contulerunt. Ipsius etiam Cratini exẽplo qui in ea Comœdia quam inscrpsit Vlysses. nihil aliud q̃ Homero detrahere conatus est. Igitur & Choros substulerunt, & Personas ipsas protinus immutarunt. Cõstabat autem Chorus comicus ex quattuor & uiginti uiris. Quei si tamq̃ e Ciuitate in Theatrum ueniret, per sinistram Scenæ apsidem ingrediebatur. Si uero tamq̃ ab Agro quadrata figura per dexteram. ac modo Actores alloquebatur, modo illis abeuntibus per Orchestram incedens ad Populum ne ociose sederet, se conuer tebat. Quo tempore, uel de Rebus publicis, uel de Priuatis ad Poetam pertinentibus concinebat.

PERSONAE uero fieri antea solebant q̃ maxime similes iis quorum mores indicabantur, ut continuo Populus intelligeret, De quo res ageretur. Quod protinus immutatum est, atq; iis Personis uti cœptum, quæ uix Humanam effigiem haberent, quales in aliquot Menandri Fabulis intelliguntur, turpissimæ. Festinatum autem fuisse dicunt ob timorem qui a Macedonibus instabat, ne qua forte cuiq̃ macedonum Principi similes inuenirentur, ac pænas Poetæ darent. SED & numeros quoq; cũ fabulis innouarunt. Nam quum prisci Poetæ, tetrametris octametris ac uariis carminum gñibus uterentur. Ipsi trimetris tantummodo usi. SED & noua comœdia successit Alexandri magni temporibus. Cuius materia fuit ab omni prorsus maledicentia discedere: & accommodatissimas ad humanæ uitæ usũ

fabulas

fabulas exhibere. Quas solas nostri Poetæ Latinas facere studuerunt. Nunc igitur ipsos authores recenseamus: non quidem omnes: nam omnino Mille atq; amplius Sexdecim fuisse dicuntur. Sed ut ab initio facere instituimus: dumtaxat præcipuos ac nominatissimos. PRISCAE Comœdiæ scriptores fuere.

Comici Poetæ. Prisci.

SVSARIO Tripodiscius Philini megarensis filius a quo primum repertam Comœdiam extimarunt. Cuius illi duo tres ue iucundissimi trimetri, quos iam ut potero latine dicam. Audite quæ Susario megarensis loquitur Magnum quidem malum est mulier, sed tamen o Populares sine hoc malo domi esse non possumus.

CRATINVS Callimedis filius atheniensis Olympiade. 85. Primus in comœdia splendidiore stilo est usus. Fabulas autem docuit unam & 20 uinosus ac prope nimius adolescentulorũ amator. Periisse dictus est: dum pleno doliouinum effundi uideret.

CHIONIDES Atheniensis quoniã primus certamina Poetarum instituisset, Protagonistes appellatus: olympiade. 73. Fabulæ autem ab eo scriptæ dicuntur Heros. mendici. persæ & assyrij.

EPICHARMVS Tityrri syracusani filius: primus comœdiam ostendit Syracusis una cum Phormo: olympiade. 75. ipsis p̃sicis temporibus. Docuit uero fabulas. 52. uel ut tradit Lyco. 35.

PHORMVS Syracusanus Gelonis tyranni familiaris: ac filiorum eius alumnus: septem hasce fabulas ædidit. Admetum. alcinoum. alcyonas. Ilij excidium, equum cepheum. perseum & Atalantam. Primus omnium usus est Socco & scena de palmarũ libris.

ALCAEVS Atheniensis Micci filius quintus comœdiarum scriptor: fabulas dedisse dictus est. 10.

TIMOCREO Rhodius in themistoclem ac Simonidem melopœum comœdias fecit.

CRATES Atheniensis Epylici frater: primus in comœdiam Ebriacos introduxit. Fabulas autem ædidit. 6. Vicinos. lamiam. heroas. feras. famios & saltatores.

H

EPILYCVS autem ipse multas quidem scripsit: sed ex ijs sola commemoratur Coraliscus. Fuit & alter CRATES Atheniensis: cuius hæ tres fabulæ Thesaurus. aues. & auarus.
PHRYNICHVS phradmonis Atheniensis filius: in Sicilia perijt. 86. olympiadis anno tertio. quo urbs Roma a Gallis capta. Relictis fabulis decem: quarum hæc nomina, Ephialtes. connus. saturnus. monotropos. mystes. satyro tragœdi. musæ. comastæ liberti. & poastritæ.
MAGNES Atheniensis Icarij. quum admodum adolescens esset, senioris Epicharmi fabulis plurima adijcere solitus. Non & ipsa etiam senectute maturus, nam in Barbitiscis sua fabula saltauit, ornithibus uolatus auium actitauit. in Lydis uero Lidas in phenis fulicas. in Batrachis ranas exægit.
EVPOLIS Sosipolidis filius Atheniensis, annos natus. 17. fabulas ad populum dare cœpit, Cratinum in primis æmulatus, Docuit comœdias. 17. in quibus septies uictor. Nauigans aũt Hellespontum bello quod aduersus Lacedæmonios susceptum est, ab ijs in quos comœdiam Baptas ædiderat est suffocatus. Vnde publico decreto cautum, ne quis deinde Poeta in bellum exire cogeretur.
ARISTOPHANES philippi filius q̃q̃ alij Rhodium. alij Lindium. alij æginensem fuisse, & Atheniensium ciuitate donatum traddiderint, Atheniensis. Cidathenæa regione: Pandionideq; tribu. Natus olympiade. 75. ipso quidem Ludorum die. Tetrametri atq; octametri repertor. Fabulas scripsit. 43. de quarum numero supersunt, Listratus. Acharnes. Nephele. Batrachin. Spheces. Ornithes. Ecclesiaxusæ. Thesmophoriaxusæ Pax. Equites. & quam nos barbare uertimus Plutos. Nam hæ quattuor Poesis. Nauagus. Insulæ ac Niobis Archippi fuisse creduntur:
ARCHIPPVS autem hic semel tantũ olympiade. 61. uictor
THEOPOMPVS Theodecti filius Atheniensis. 24. fabulas docuit.
PHERECRATES in agendis fabulis Craterẽ æmulatus.

semperq; res nouas in scenam adducere solitus. Scripsit comœdias. 18. ac primus omnium a cauillationibus abstinuit. Alexandri magni militiam secutus. Insignes etiam hac tempestate fuerunt Aristophanis Poete filij tres. Araros. Philppus & PHILATAERVS e cuius. 20. fabulis solæ memorantur Achilles Corinthiates Cynegias Philaulus cephalus antilli tereus œnopion. Autophiletærus Atalanta. Nicostrate ac lampadophori. Fuerat autem & alter hoc nomine comicus Poeta, corpore prægrandi & ingenio rudi, qui quod ob Laidis meretricis amorem corinthum habitaret, ac Parasitos aleret: ab ipso sæpius aristophane proscissus est. Comœdiæ quam mediam nominarunt authores. 57. Horumq; fabulæ mille atq; amplius. 17 fuisse numerantur. Verum enimuero nominatissimi ANTIMACVS Psecas qui primus instituit proprijs nominibus in comœdia parcendum esse.

STEPHANVS ac Stephani filius ANTIPHANES Atheniensis, quei. 98. olympiade Nulla prorsus Poetica fictione insignes, sed tantummodo communem dicendi consuetudinē secuti, adeo commenta magis q̄ uerba placere solent maximam sunt authoritatem consecuti. Antiphanem uero non nulli dixerunt fuisse Thessalum ex Larissa. & in Atheniensium ciuitatem a Demosthene adscriptum. Quasi ad scribendas Fabulas natum. scripsit enim. 364. comœdias, uel ut alij uoluerunt. 280. ter ac decies uictor. Perijt aūt in Chio: ossaq; eius Athenas translata. Comici Poetæ Medii.

APOLLOPHANES Atheniensis qui scripsit Dalin. Iphigeronta. Danaen. Cretenses & Centauros.

DIOCLES phliasius qui scripsit de meretricis nomine thalartam. apes. Bacchas. Oneiros & Thyesten. Primus autem hic inuenisse dictus in Oxybaphis Harmoniam: dum in Xyliphio testacea uasa pulsaret.

SANNIRIO Atheniensis qui scripsit Danaen Ionem risum & psychastas.

PHILLYDIVS Atheniensis qui scripsit augen. ægeum. anteam de nomine meretricis. dodecaten. Nausicaam. helenen.

Atlantam. Herculem. polin. & phreorychon.

METAGENES Atheniensis Duli filius: qui scrpsit auras. mammacythum. thurioperjas. philothyten. Homerum. et asceras.

THEOGNETVS Thessalus qui scripsit phasma. philodespoton. philargiron. & centaurum

CANTHARVS qui thereum symmachias aedonas Myrmicas & mediam.

ARCHEDICVS qui theseum & diamartanonta,

PHOENICIDES qui Philarchum misumenon:

MNESIMACHVS qui philippi hippotrophon et busirin.

PLATO Atheniensis cuius splendidiore stilo scriptae Fabulae: Grypes Daedalus. Adonis Aphieron. festiuitates. Europa. Craeia. Iuppiter cacumenos. Io. Lacones. Laius cleopho. Metoeci. formicae. mammacythus. uictoriae. Perialgus. Cercopes Hyberpolos. Phao, Legati. Nox longa Sophistae Sceue Menelaus Synexapaton. Syrphax Androphonos & Panag ristae.

NICOPHORO Theronis atheniensis filius fabulas quidẽ edocuisse dictus est q̃plurimas: sed quae commemorantur: hae. Rediens ex inferis. Enchirogastores. pandora. Veneris progenies & Sirenes.

PHILONIDES Atheniensis primo Fulloniam exercuit. mox ad scribendas Fabulas se contulit. Scripsit autem egregie permultas, ita ut uideretur antea non plus Poeticam q̃ Fulloniam exercuisse. Memorantur uero ex eius Comoedijs duae: Vehiculum & cothurni.

HABVIT & filium NICOCHAREM cuis fabulae fuerunt Amymone Galatea. Lemniae Peplops. Cretenses. Lacones Chirogastores & Centauri.

TIMOCLES duo fuerunt: atq; ambo Athenienses. Alterius Comoediae fuerunt: Centaurus. Epi. philodicastes Cannij Chaerecatos Pictes & Demosatiri.

ALTERIVS uero Polipragmon Lethe. Dionisus. Delos. Icarij. conisalus. Dionisiaxusae. Dracontion Meretrix He

roes Orestes & Marathonij:

NICOSTRATVS Atheniensis scripsit Pandarum quæ philetæri existimata. Hierophantem. Clinen. Ancillam. calumniatorem Hesiodum. anterosan. coquum Proserpinam. oridem. pluton. sirum & tociften.

SOPHILVS Sicionius Citharœdum. Philarchum. tindareum. Ledam. Deliam chiridion & parathecen.

EPINICVS Atheniensis hipoballomenas.

HENIOCHVS Trochilum. Epiclerum. Gorgonas polipragmona therición. polieucton. hemiginæon. theostigen apophrada. Báriorgeton. cociton ftignon. & Eclocheuma.

MYRTILVS Lisidis filius Hermippiq; frater: Amores & tetanopanes: nā Hermippus ipse. 40. fabulas dedisse dictus

ANAXANDRIDES Anaxandri camerij Rhodius siue ut non nulli scripserunt Colophonius: olympiade Centesima prima. Philippi Macedonis Aminthæ filij certaminibus affuit: ac primus in nouam comœdiam iter aperuit, Dum in scenam amores & uirginum raptus inducit. 65 (quas edocuit) fabulis. decies uictor.

NOVAE uero Comœdiæ authores. 64. fuisse tradduntur. Quorum præcipui fuere PHILEMO Damonis Siracusani filius Atticus ciuis factus: olympiade. 113. Alexandri magni temporibus Fabulas docuit. 97. Vixit autem annos amplius C. Habuit filium Philemonem: qui scripsit fabulas. 54. Comici Poetæ. Noui

PHILIPPIDES Philoclei filius Atheniensis. Fabulas docuit. 45. Vndecima supra. C. olympiade. Qua & PHILISCVS natus est, qui hasce nouem comœdias ædidit. Adonin, themistoclem. olimpium. Iouis, panis, Mercurij Veneris, Dianæ, atq; Apollinis progeniem.

MENANDER Diopithis & Hegesistratæ filius Atheniensis. Strabo quidem oculis, non autem & mente. Adolescens enim uix dum annos natus. 20. docere cœpit. Regnante Athenis Ciocle, per eam fere tempestatem qua primum Ludi scenici Romæ instituti. P. Sulpitio Poetico & . G. Licinio Stolone Cō

sulibus. Perijt non multo anteq̃ Liuius Andronicus primus Romæ Fabulam ostendisset ætatis quidem anno. 52. Relictis. 108 fabulis. Et ad Philemæū regē Epistolis oratione soluta q̃plurimis, Vixit uero semper feminarū amoribus ad insaniā addictus.

DIPHILVS Sinopensis docere cœpit tunc quom & Menander. Perijt Smyrnæ paulopost menandrum. Relictis ab se fabulis haud paucioribus q̃ Menandri.

APOLLODORVS Gelous cum menandro clarus habitus est: eiusq; fabulæ memorantur. Philadelphi: Deusopœus: Hiereia: Grammatodeipnos: Pseudeas: Sisyphus & Aeschiron.

Septem Tragici Poetæ.

POSIDIPPVS Cassandræus cynisci filius: docere cœpit post menandri mortem anno tertio. Docuitq; fabulas. 30.

APOLLODORVS Atheniensis scripsisse fabulas fertur. 47. quinquies uictor.

ALEXIS autem Thurius qui Sybaris antea uocabatur. 245.

XENARCHVS Atheniensis haud paucas. Quarum præcipue: Bucalio: scythæ. didymi. porphyta. priapus. pentathli. somnus & miles.

PHILISTIO Nicaeus siue ut Philoni uidetur sardianus. post complures fabulas, quarum est Misopsephistæ: nouum mortis genus: Interijt nimio risu. quod epigrammate notatum. O lachrymabilem humanam uitam. En risu perijt nicaeus philistio.

POLYZELVS Atheniensis scrpsit niptra. dimotyndareos. musarum. Veneris ac Dionisij progeniem.

PHILIPPVS Atheniensis codoniastas.

BATTO androphonon & euergetas.

STRATHO phœnicem.

POLYEVCTVS Heniochum.

TELESTES asclepium & argo.

ARISTONYMVS Atheniensis q Philopatoris ptolemæi bibliothecis post apolloniū præfuit. præter cæteras fabulas scripsit & Solem rigentem: ut uideri posit. hominum ingenia iam tum deferuere cœpisse.

Tragœdia

QVARE & nos cætera comicorum Poetarum multitudine

derelicta: transeamus ad eos qui Iambographi nominantur. Quorum primus fuisse fertur SIMONIDES Crinei filius amorginus. Post bellum Troianum annis sex & quadrigentis. Ante Romam uero conditam circiter .20. Non nulli tamen SIMMIAM Rhodium grammaticum non Simonidem amorginum fuisse putarunt causis haud multum explicatis. Iambographi Poetæ.

ARCHILOCHVS Telesiclis parii filius Apollinis predítione priusq̃ nasceretur clarissimus inmortalisq; futurus .33. olympiade (qua & Homerum pleriq; tradiderunt) natus. Notior aũt esse cœpit Cyge lydorũ. Tullio hostilio Romanorũ regnum obtinentib⁹. Dũ Lycãbes Neobulen filiã ei despondisset: ac mox ei denegatam Archiæ collocasset: adeo atrociter inuectus est, ut & Socer & uxor & filia suspendio uitã finierint. Materia uero carminis preter maledicentiã fuit: ut muliebres concubitus uituperaret. Pusioniosq; cõprobaret: ob quam turpitudinẽ a Lacedæmoniis cautum: ne perlegeretur. Interfectus aũt Archiæ fraudibus a Chalonda corace: qui ob scelestissimum parricidium Delphis a Pythia templi aditu prohibitus: indicatusq; nobilissimo Poetæ dignissimas pœnas exoluit.

HIPPONAX Protidis ac pythei filius Ephesus: non multis post Archilochum annis: ab Athenodoro & coma tyrannis patria pulsus Clazomenas habitauit. inuectusq; in Bupalũ & athenin statuarios q̃i turpissimã faciẽ ei⁹ in contumeliã effinxerant.

ANANIAS laudatissimus quidem (sed ut ingenue fatear) Præter aliquot eius Iambos nihil amplius quod recitem habeo.

SED & SOTADES Cretensis maronites: primus hoc genere carminis Phlyacas idest Cynœdos conscripsit: ionica lingua: nam Ionici sermones tum illi uocabantur. Quam scribendi formulam (ut Athenæus ait) secuti sunt, Alexander ætolus. Pyrrhus milesius. Theodoras: timocharidas & Xenarchus. Sunt autem eius generis species. Descensus ad inferos. Priapus. in Belistichen. Amazo. Paralytrumenos & Enclyomenæ.

NVNC autem Lyricos poetas enarremus. LYrici Poetæ.

ALCAEVS Mitylenæus olympiade. 22. clarissimus habi-

tus est. Et quia semper in reipublicæ statu laudando. Tirannideq; detestanda uersatus est: ob egregij carminis sublimitatem, plectrum eius aureũ fuisse dixerunt. Nam quod Pyctatus tyrannus, ante delatam tyrannidem ab eo sæpe lacessitus grauißimam atq; immortalem iniuriam ulcisci noluerit, nescius huius ne authoritati, an illius modestiæ tribuendũ esse uideatur.

INSIGNIS & eadem ætate SAPPHO Lesbia ex Ereso, Simonis siue Euomini clidisq; filia. Quæ scripsit Lyricorum modorũ libros nouem. Item Elegias. Iambos Monodias & Epigrammata, primaq; plectrum adinuenit.

FVIT autem & altera Sappho mitylenæa Psaltria, quæ ob Phaonis Mitylenæi amorem se de Leucato præcipitem dedit, q̃q̃ aliqui eãdem fuisse contenderint quæ Lyricos scripsit ALCMAN Lydus ex sarde damantis Titarine filius olympiade. 27. quom regnaret apud Lydos Ardis aliatti pater, Primus amatorios modos ad Lyram aptauit, ac primus ne amplius Hexametro caneretur induxit, usus doride Lacedemoniorum lingua. Fuit aũt & alter Alcman Poeta lyricus, sed ex Messene argiuus.

STESICORVS Euphemi filius, uel ex Himera Siculus, uel potius ex Metauria italus, & si complures tradiderint, eum ex Palantio archadiæ Catanam profugisse, ibiq; mortuum, & ante portam (quæ ob id Stesichoria est appellata) sepultum. Natus olympiade. 37 Perijt. 56. Scripsit autem doride lingua de grauißimis rebus libros. 26. Aiunt Helenes uituperatione scripta occæcatum, somnio monitum ut palinodian recantaret, recantata protinus incolumem restitutum. Appellantum uero Stesichorum quoniam primus Citharœdicos choros instituerit: quum antea Tisias numcuparetur.

IBICVS phytij siue polizeli messenij, aut ut non nulli scripserunt Cerdantis Rhegini filius. Policrate policratis tyranni patre regnante Samum uenit olympiade. 54. Scripsit doride lingua libros. 60. Primusq; triangularem cytharam quæ Sãbuca uocatur ostendit. Adolescentulorum amores ad insaniam usq; sectatus. Quum autem a latronibus interficeretur. Grues

inquit, hæ,

inquit hæ: quæ tum superuolabant, mortis meæ iudices erunt. Non multo post: quum unus eorum in Ciuitate Grues aspiceret. Ecce ait socio Ibyci Iudices. Quibus uerbis ab eo qui auscultauerat in iudicium adductus: rem omnem confessus est: atq; ita illi meritas pœnas Poetæ dederunt: unde prouerbiũ: Ibici grues

ANACREO Teius siue Scithini siue Eumelij siue Parthenij Aristocriti ue fuerit filius. Policrate Sammiorum Tyranno natus est Olympiade secunda quinquagesima. q̃q̃ non nulli Cyro et cambyse regibus. 22. dixerint. Pulsus ab Hisaæo Tyranno. Abdera thraciæ urbem incoluit. Natus ad locos cantus compotationes & puerorum amores. Scripsit etiam Iambos & Elegias & quæ Anacrontea uocantur. Perijt iam senex: uuæ passæ accino strangulatus.

PINDARVS thebanus daiphanti filius & Myrtidis mulieris discipulus. olympiade. 45. Anteq̃ Xerxes in Græciã traiecisset annis non plus, 40 post Romam uero conditam anno centesimo & nonagesimoquarto. Et ex quo regnare cœperat Seruius tullus trigesimo. In tota Græcia factus illustris. Scripserat enim quæ nunc etiam extant Olympia. pyhia. Isthmia nemæa Item prosodia. bacchica. daphnephorica. hyporchemata. Scolia pæanas. hymnos dithirambos enthronismos. Encomia. threnos. Epigrammata epica. tragœdias. 17. & oratione soluta q̃plurimas ad Græcos parænéses. Fuit uero & alter Pindarus huius ex sorore nepos Scopelini filius. Cuius uerecundia motus Alexander magnus: quum thebas erueret: domum familiamq; seruari iussit.

SIMONIDES Iulidites ex Cea insula paulo post stesichorũ mortuum. Natus olympiade. 56. Perijt. 88. magnum & pietatis & relligionis exemplum. Nam quum inuentum littore cadauer sepeliuisset: noctu insomnis monitus ne postero die nauigaret: a præsenti naufragio seruatus est. Quumq; apud scopã thessalum cœnaret: a Dioscuris quorum hymnum cecinerat: imminenti ruinæ periculo ereptus est. Scripsit autem doride lingua semper usus. De dareo & Cambyse de Xerxis Naumachia

Bellum nauale quod gestum est in artemisio uersibus elegis. Pugnam salaminiam melicis. Trenos etiam. Encomia. paenas Epigrammata tragoedias & Memoriae hymnum In quo caetera omnia praeter eam tempore coinquinari ipsumq; tempus ex memoria reiuuenescere ac nunq̃ interire traddidit. Celebre dictum eius fertur. nec deos cum necessitate luctari. Primus autem micrologian induxit, & asmata lepidiore stilo conscripsit. Quale illud quod nosti iucundissimum de Spartanis: quei ad Thermophylas duce Leonida ceciderunt: ob admirabilem carminis suauitem Melicertes appellatus habuisseq; dictus est duas archulas: alteram inanem: alteram gratiis omnibus refertissimam.

IISDEM fere temporibus: in eadem ciuitate: ex eadem familia, & eodem genere carminis clarus habitus est.

BACCHYLIDES Medonis filius.

MELICI uero praeter quos supradiximus insignes Poetae fuerũt.

Melici Poetae.

MVSAEVS Thebanus thamyrae filius qui multo ante Troiana tempora scripsisse fertur mele & asmata.

THALETAS Cretensis siue ut nonnulli uoluerunt illyrius qui ante Homerum scripsit Lyricos & mele.

LASVS Charbini filius Hermioneus ex Achaia, quem pleriq; inter septem Graeciae sapientes Periandri loco adnumerarũt. Anno post urbem Romanam conditam tertio natus. Primus musicas rationes descripsit. Dithyrambum in certamen adduxit et eiusmodi caetaras contentiosas disceptationes ostendit.

MENALIPPVS Melius eadem qua & pindarus Daiphanti aetate. Scripsit Dithyramborum plurimos libros. poemata epica. Elegias & epigrammata.

MENALIPPIDES huius ex sorore Nepos, & Critonis etiam Lirici filius. Scripsit mele. Lyricos. asmata & Dithyrãbos In quibus plurima innouauit. Obiit apud Perdicam Regem cum quo familiarissime uixit magno sui desiderio relicto.

PHILOXENVS Euletideae cytherii siue ut Callistratus scribit Pontici ex heraclea filius, ab Agesylo quodã enutritus & ob frugalitatem Formica nominatus est. Illo autẽ mortuo em-

ptus amenalippo Poeta. Poeticam ab eo didicit. Scripsit Dithyrambos. 24. Melicis uero carminibus Aeacidarum genealogiã Obijt aũt Ephesi, quo tẽpore Citherij in Lacedæmoniorũ potestatem redacti. ac Porsena clusinorũ Rex Romã obsidebat. Sed nec MESOMEDES Cretensis q̃q̃ longo interuallo Cæsaris Hadriani libertus hoc in loco tacebitur. Qui præter alia multa melicis modis Antini qui fuerat domini exoletus laudes concinuit. Dirus hic erat in Antoniũ q postea Cæsaris fuit Præceptor. eũq; non tam litteras q̃ Citharam edocebat. Quam iniuriam ille ulciscens L. Syllæ monumento sic insculpsit. Et Mesomedi qui cytharœdicas leges scripsit.

ASMATHOGRAPHI Poetæ preter quos enumerauimus insignes ante Homerum fuere. Phemius ithacensis. Automedes. Demodocus & Charis corcirenses cæteraq; multitudo quam Demetrius phalereus enumerat. Post Homerum uero fuere Asmato graphi Poetæ

ARIO mithemnæus Ciclei filius haudquidem multis ante conditam urbem annis, q̃q̃ alij. 56. olympiade scripserint. Scripsit quæ Asmata proœmia nuncupantur uersibus ad duo millia, Primus dithirambũ cecinit. Primus ẽt in Tragœdijs chorũ instituit, ac Satiros uersibus, non autem incompositis ut prius uerbis loquentes induxit. Quom uero ex Italia principum liberalitate ditissimus in patriam enauigaret. Nautarumq; perfidia se mox periturum intelligeret, in mare desilijt, Delphinorumq; præsidio Corinthum incolumis enauit. Quo quum & illi tempestate delati peruenissent, meritissimas indigni sceleris pœnas eluere. Ipse uero diuinos honores a periandro statua posita consecutus

DIAGORAS Teleclidæ milesij filius ab Abderitano Democrito circa olimpiada mille drachmis emptus: & ad Philosophiam institutus est. Animum autem ad Lyricam appulit Paulo post Pindarum & Bacchiliden. Appellatusq; Atheos, quoniam Apopirgizontas Cercundes opus ædidit: ubi publica de Dijs opinio uehementer oppugnabatur.

SED et Tibicĩes ac citharœdi poetæ ne pretermittã?, isignes fue?

MARSYAS Lidius Satiri genero: Hiagnidis ante Troiana tpa discipulus. Dum Cibelen Meonis filiam a qua Fistula reperta fuerat ingenti quodam amore uerecundius prosequeretur. Citius enim passus fuisset se mori q̃ eius pudicitiam uerbis pertentare. Primus ad amorem suum honestius indicandum e calamis tibias coniunxit. Verum autem quum illa grauida facta fuisset ex Attide. Attisq; deprehensus & membratim a Patre discerptus: Iam nimio dolore uesanam diu miserans comitatus est: Donec Apollo Cibelis amore captus assiduum custodem inuidere cœpit: ac in demortui Marsiæ locum optari concupiuit. Itaq; quum ambo in Musicum certamen descendissent: conuictus ab Appolline Marsias: pelle in utrem denudatus ab eo fuit. Cruorq; in fluuium (qui ab eo Marsias apellatus est) fluxit. Locum autem ubi hæc acta fuere: nunc quoq; Phriges ostendunt.

OLYMPVS misus Mæonis regis filius Tibicẽ & Melicus Poeta Marsiæ discipulus fuit: e cuius nomine mons in Misia cognominatus nihil quidẽ ex se noui attulit: nisi q̃d de Marsia didicisset. Fuit & alter eius nominis Tibicen phrix: Mida Gordij filio regnante. Qui præter egregiam Phrigiorum modorum rationẽ nihil etiam præclari de se reliquit.

TERPANDER siue fuerit arnæus: siue ex antissa Lesbius: siue ut pleriq; uoluerunt ex Hesiodi genere Cumæus. Primus Heptachordon Liram fecit: & Lyricas leges Carminibus ædidit, Quod tamen aliqui ad Philammonem rettulerunt.

ARISTOCLIDES e Terpandri genere Citharista medicis temporibus inclaruit: ac Phrinin auletẽ secum habens Citharam edocuit. Histrus tamen in Melopœis scribit phrinin Canopis Lesbij filium quum Hieronis tiranni coquus esset. cum alijs compluribus Aristoclidæ dono datum. Quod si uerum fuisset: nunq̃ ueteres Comici qui tam sæpe illũ descripsere: tacuissent.

PHRYNIS quidem ipse primus apud Athenienses uisus est Citharam pulsasse, Calliaq; regnante Panathenæorum uictor.

TIMOTHEVS siue Tersandri Neomisi siue Philopolidis milesij filius, Philippi macedonis temporibus primus decimã atq;

undecimam chordam addidit. Antiquamq; musicam molliorem reddidit. Scripsit autem quæ Musicæ leges dicuntur undeuiginti. Dithirambos. 17. Hymnos. 21. Diasceuas. 7. Procœmia. 36 Item Encomion. Persas. Nauplion. Phineidas. Dianã, & Laertem. SED ne recensendi modum pretergressi esse uideamur. Tandem eos percurramus: de quibus postremo loco dicturos nos esse polliciti sumus. Et ut rem breuissime transigam: Hymnos deorum quei scripserint: Præter unũ Asclepiadem omnes reor enumerati. Ex ijs uero quei nuptiarum celebritates hoc est Epithalamia composuerunt: præcipuam laudem est consecutus Agamestor pharsalius. EX ijs autem quei funereas laudationes hoc est Epicedia. Monodias. Threnos. & Epithaphia conscripserunt. Non quidem plures q̃ quos obiter enarrauimus occurrunt nisi unus Dionisius bizantius qui tantummodo Threnos & Epicedia scripsit. Epicedia uero dicuntur quom super ipso funere curas doloresq; nostros indicamus. Monodia quom tragico more solam eius qui perijt uitam decantamus. Threnus quom calamitatem que ex illius morte prouenerit: deploramus. Epithaphium uero quom sepulti laudes In ipso tumulo recensemus. Sed Epigrammata quoq; dicta quæ clarissimorum uirorum Statuis inscriberentur. Mox & ad uiuos describendos adducta. Horum autem scriptores propemodum innumerabiles. Præcipui tamen fuere Simonides maior Cuius meminit Herodotus. Antipater Sidonius, Antipater thessalus Archias Agathias Addæus Alcæus, Alphæus Antistius, Arabius Bassus, Bianor Boethus, Crates cinicus, Callimachus Cerealius, Cirillus Diotimus, Dioscorides Ericius egesippus Eueni parij duo quei & elegias scripsere. Euodus Ermiodorus Epigonus Cermanicus cæsar Getulicus Gersus. Io. Leonides tarentinus Lollius Lucilius Macedonius consul Mæcius Metrodorus Menecrates Mirinus musiccius: Honestus. Plato iunior Pancratius Pætus Proclus Posidippus Philo Philodemus. Ruffus Ruffinus Sarapio Statillius flaccus Satirus Secæus Simmias Tullius gemius Tiberius cæsar Tiberius illus Zosimus thasius: & cætera quã tu optime nosti multitudo.

Epigrammatographi Poetæ.

HABES Igitur mi Pucci plura etiam opinor q̃ a me rogaueras: ut iam si noster de Arte Poetica Libellus Noua quadam Sorte prius ad alios q̃ ad te cui primo destinabatur exierit. Nullo modo te pœnitere debeat. Cum hac tandem accessione fortassis non inutili peruenisse.

FINIS.

POMPONII GAVRICI DIALOGVS DE TEMPORE.

CVius opus? quondam lysippi: dic mihi quis tu?
Tempus, quid nam operæ est tibi? cuncta domo,
Cur tam summa tenes? propero super omnia uelox,
Cur celeres plantæ? me leuis Aura uehit,
Cur tenuem tua dextra tenet tonsoria falcem?
Omnia nostra secans radit acuta manus,
Cur tibi tam longi pendent a fronte capilli?
Fronte quidem facilis sum bene posse capi,
Cur tibi posterior pars est a uertice calua?
Posterior nemo prendere me poterit,
Talem me finxit quondam sytionius, hospes
Et monitorem hoc me uestibulo posuit,
Pulchrum opus artificem laudat, proh iuppiter o q̃
Debuit hoc pigros sollicitare uiros.

HEu sortem miserandam hominum uitamq; pigendam
Quam misera nati conditione sumus,
Non ita maurus equus, non & leuis Aura fauoni
Non ita per noctem somnia uisa breuem,
Quam cito formosæ præter uolat Aura iuuentæ
Quam cito iucundi temporis Aura fugit

Hora fugit, curæ accelerant, morbiq; sequuntur
Occupat & tremulum curua senecta caput
Stulti mortales lugemus morte peremptos
Lugendum ætatis quum perit ipse decor,

VINCENTII CAMPANATII BONONIENSIS EXASTHICON.

GAuricus ære suo Lucas excudere Iußit
Hoc opus, ut fratris sit memor usq; sui,
Et iuuenes ualeant conscendere culmina montis
Parnasi, Paulo sceptra tenente Iouis,
Tertius e summo qui iam delapsus Olympo est
Vt Deus hic Terras, Iuppiter Astra regat.

¶ *Impreßit Romæ Valerius Doricus & Aloysius*
Frater Brixiani, Mense Octobri, Anno
salutis. M. D. XXXXI.
Vertente.